MASTER NEGATIVE NO. 93-81413-9

AUTHOR:

SCHINDLER, HEINRICH

TITLE:

DE ATTRACTIONIS PRONOMINUM REL...

PLACE:

VRATISLAVIAE

DATE:

1892

Master Negative #

93-81413-9

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Schindler, Heinrich, 1863-
De attractionis pronominum rel. usu Aristotelico. Dissertatio inauguralis quam ... publice defendet Henricus Schindler ... Vratislaviae, ex officina Societatis Typographicae, 1892.
95 p. 21½ cm.

Thesis. Breslau. 1892.

Vol. of theses.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 5/17/93 INITIALS F.C.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

DE ATTRACTIONIS PRONOMINUM REL. USU ARISTOTELICO.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN UNIVERSITATE LITTERARUM VIADRINA

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

ET UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE XXVII MENSIS AUGUSTI ANNI MDCCCLXXXXII HORA XI

IN AULA LEOPOLDINA

PUBLICE DEFENDET

HENRICUS SCHINDLER

GLIWITIENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

IOSEPHUS WAHNER, DR. PHIL.

FRANCISCUS GERLACH, CAND. PHIL.

VRATISLAVIAE

EX OFFICINA SOCIETATIS TYPOGRAPHICAE

MDCCCLXXXXII.

CARISSIMI PATRIS MANIBUS

SACRUM.

Prooemium.

Enuntiationes rell. e demonstrativis ortas esse plerique viri docti iure inter se consentiunt. Enuntiatio demonstrativa per se constare desiit et pro membro quasi alterius enuntiati habebatur pendens ex illius notione aliqua. Neque tamen initio haec notio etiam casum suum pronomini rel. impressit, sed casum pronomen rel. enuntiationis rel. structurae debere solebat. Quae enuntiati externa species paene exstinguebatur, cum pronomen rel. quem sententiae primariae notio regens flagitabat casum induere coepisset. Quae res inde ab Aeschylea fere aetate in usum venit et sub nomine attractionis pronominis rel. nunc notissima est.

Tantum autem abest, ut quaevis enuntiatio rel. attractionem patiatur aut quaevis enuntiatio prim. eam exerceat, ut certae quaedam leges e quibus attractio aut existat aut desit, valeant. Praecipua et Aeschyleo tempore acriter observata lex haec est, ut enuntiatione rel. supplementum sententiae prim. contineatur necessarium, sine quo haec intellectum omnino non habeat. Quae res id habet consectarium, ut enuntiationes rell. attrr. plerumque indicativo, raro coniunctivo aut optativo ἄν particula addita vel omissa comprehendantur, ut Rich. Foerster in p. 68 libri: „Quaestiones de attr. enunt. rell., qualis quum in aliis tum in gr. l. potiss. ap. gr. poet. fuerit“ Berol. 1868, acute exposuit. Idem vir doctissimus ad eandem illam rem suo iure id revocat, quod parvi ambitus enuntiationes rell. plures, quam amplae attrahuntur. Breves enim enuntiationes potius, quam multis additamentis amplificatas necessariam enuntiationis superioris definitionem continere quis est quin intellegat? Neque vero in alia re mihi quidem posita videtur esse causa, cur enuntiationes rell.

una cum adiectivo sive uno sive pluribus ad nomen aliquod relatae rarius, quam quae solae nomini determinationem praebent, attrahi soleant. Hae quattuor leges, quippe quae ab intima quasi natura attractionis sint repetitae, internae fortasse possunt nominari. Quibus oppositae sunt leges ab externa enuntiationum rell. forma sumptae. Nam cum attractio in eo sit posita, ut pronomen rel. contra naturam non enuntiati rel. sed primarii structurae accommodetur, vim ab altero enuntiato alteri inferri quodammodo dicere licet. Altera sententia exercet, altera patitur vim. Quae vero inest in sententia prim. vis attrahendi non eadem est in diversis enuntiatis, immo modo maior modo minor est, modo tam exigua, ut non sufficiat ad enuntiationem rel. in potestatem suam redigendam, quippe quae pro natura sua modo facilius modo difficilius vim illatam perferat modo omnino repellat. Iam vides externas quasdam res, quominus attractio existat, nonnumquam obstare, quamvis necessaria sit quae enuntiatione rel. contineatur definitio, sine qua sententia prim. non habeat intellectum. At vero e contrario sententiam prim. cum enuntiatione rel. per attractionem coniunctam invenies, non quo illa ut recte intellegatur, hac carere nequeat, sed quia illius et huius forma externa attractioni accommodatissima est. Iam si quaeris, qualis externae formae enuntiata maxime ad attractionem sint idonea, inter sententias prim. primum locum tenent, quae praepositionibus aut notionibus partitivis ad enuntiationem rel. sibi adnectendam utuntur. Quod praecipue in eo, quod talia qualia ἀνθ' ὧν, ἐφ' οἷς, οὐδὲν ὧν in formulas quasi abierunt, cernitur et procedente disputatione nostra magis magisque elucebit. Ceterae notiones regentes in universum illis multo inferiores hac re inter se gradatim differunt, prout magis vel minus acriter casum quendam forma expressum desiderant. De enuntiationum rell. forma externa disputanti discernenda sunt, quae ad pronomen rel. pertinent ab iis quae de totius enuntiationis natura sunt dicenda. Atque primum quidem, ut a pronomine rel. exordiar, quaestio est, cuius casus et cuius generis

pronomina rell. dominationi notionum regentium sint obnoxia. Exempla si perscrutaberis, pronomina attracta longe plurima ante subitam attractionem obiecti partibus esse functa et neutrius generis fuisse, primo obtutu perspicies. Utriusque rei causa quin ad idem revocanda sit, mihi quidem dubium non est. Nam ut nominativus et genus masculinum femininumque ei quod agit, ita casus obiecti et genus neutrale ei quod patitur significando inserviunt. Maior autem, ut Foersteri de hac re l. l. p. 39 disputantis verbis utar, est vis eius quod agit quam quod agitur. Quare illud facilius quam hoc attractioni resistere posse censendum est. Foersterum ita fere argumentantem non intellexit Reisertus, cum in libro, qui inscribitur: „Zur Attraction der Relativsätze in der griech. Prosa. Ein Beitrag z. histor. Syntax der griech. Spr. I. Allgemeines. Herodot u. Thucyd. Diss. inaug. in univers. Würzburg 1889“ p. 16 dicat: „Bei Foerster suchen wir vergebens zu erfahren, welches denn eigentlich jene Kräfte seien, durch welche das Masc. oder Femin. sich mehr schütze als das Neutrum.“ Mihi vero quas vires Foerster intellegat, satis clarum est. Vires agendi (treibende Kräfte), quas vir ille doctissimus enuntiationum nominis agentis partes gerentium attractioni obstare paulo ante exposuit easdem a genere masc. femininoque et nominativo attractionem prohibere Foersterum censere non fugiet eum, qui, quomodo viri illius oratio l. l. p. 39 procedat, attento animo secum reputaverit. Quantopere Reisertus Foersteri argumentationem mente non perceperit, ex eo quoque patet, quod Bohlmannum Foersteri sententiam in diss. sua („de attr. usu et progressu qualis fuerit in en. rell. ap. Herod., Antiph. Thuc., Andoc., Lys. Vratisl. 1882“) explanantem redargui opinatur usu quodam Herodoteo dicens: „Bohlmann giebt einen bestimmten tieferen Grund an; aber ich könnte ihm selbst dann nicht beipflichten, wenn es für *„illi rei magis notio, his personae magis inhaeret* heissen würde: *his animalis magis inhaeret“*. Denn untersuchen wir darauf die Stellen! Bei Herodot ist auch in den Fällen, in welchen sich das Relpron. im Masc.

und Fem. nicht auf eine Person oder ein lebendes Wesen überhaupt bezieht, sondern auf eine Sache, die Attr. häufiger unterblieben, nämlich 21 mal; angewendet aber ist sie in solchen Fällen nur 13 mal.“

Minime vero hac ratione ad irritum cadit quod Bohlmannus sentit, cum dicat: *Neutrum genus minus aptum erat, quam masculinum aut femininum ad repellendam vim, quam ei notio regens illatura erat, si quidem illi rei magis notio, his personae magis inhaeret. Persona vero facilius, quam res se tutatur!*“ — Quod ut doceam, proficiscendum mihi est a singulorum generum origine vel, ut copiosius quod sentio circumscribam, quam rationem homines in lingua primaeva secuti alias personas aut res generi neutri, alias generi masc. femininoque assignaverint. Exempla, qualia sunt ὁ ἀνήρ, τὸ τέκνον, τὸ ἀνδράποδον aliaque contemplanti apparebit nomina generis masc. aut fem. a nominibus generis neutrius differre ut ea, quae vi agendi vel vigendi praedita sunt ab iis, quae vi illa carent.

Res autem speciem vitae cuiusdam prae se ferentes personae partes accipiebant, et e contrario personae quaedam potestatis agendi pro aliis personis nimis expertes habebantur quasi pro rebus. Itaque illarum nomina terminatione generis masc. aut fem. i. e. illa, quae personarum propria est, harum generis neutrius i. e. impersonalis induebantur. Quibus expositis per se patet, sive de rebus sive de personis agitur, semper generi masc. aut fem. personae notionem, generi neutri rei notionem inhaerere, quod Bohlmannum suo iure contendere potuisse iam concedes. Reisertus vero Bohlmanni verba nimis premens a re ipsa aberravit. Quod temporibus linguam primaevam sequentibus praeter naturale grammaticum quod vocant genus invaluit, nihil id ad me attinet, quae differentia inter naturam vel indolem generis neutrius et alterorum generum intercedat, illustrantem.

Reiserto proximus quae sit causa, cur pronomen masc. et fem. generis attractionem rarius, quam pronomen generis neutrius sit expertum, disseruit van Cleef in quaestione:

„de attractionis in enuntiationibus rel. usu Platonico, Bonnae 1890“ instituta. Qui quid senserit, nunc videamus! Nimis temere Reiserto Foersteri et Bohlmanni sententiam reicienti Cleefius assentitur ne intellecta quidem, ut videtur, Reiserti argumentatione. Velim conferas huius viri verba a me supra (p. 3 et 4) laudata cum Cleefio (l. l. p. 31) eius sententiam ita reddente: „*Cuius rei quae causa fuerit non apparet. Nam quas Foerster et Bohlmann attulerant causas bene redarguit Reisert, qui demonstravit pronomen masc. illud quod notionem rei contineret paululo saepius attractum esse quam id quod notionem personae exprimeret; ac ne uno quidem loco attractioni subiectum esse pronomen femininum quod personam significaret.*“ Quibus verbis quod Cleefius Reisertum demonstravisse contendit, equidem neque ex ullis Reiserti verbis neque ex numeris ab eo (p. 16 et 17) prolatis elicere potui neque quisquam alius poterit. Pronomen rel. enim generis masc. et fem. septiesdecies, scilicet novies genus masc., octies genus fem. apud Herodotum attractum esse Reisertus p. 16 docet, terdecies pronomen generis masc. et fem. attractum ad rem spectare p. 17 dicit, unde sequitur, ut quater pronomen masc. et fem. generis attractum notionem personae contineat. Quorum quattuor locorum nullo pronomen femininum inveniri, id quod Cleefius contendit dicens: „*ac ne uno quidem loco attractioni subiectum esse pronomen femininum quod personam significaret*“, e Reiserti explanatione non elucere vides, siquidem numero illo „quattuor“ utrumque genus comprehenditur neque quot loci inter quattuor illos generibus singulis tribuendi sint, dicitur. Cleefium errare quam luculentissime demonstrare possum, cum Foerster attractionis exempla Herodotea ipsa quae Reisertus non proposuit, mihi liberalissime suppeditaverit. Nonne exemplo Herod. V, 40 περιεχόμενόν σε ὁρέομεν τῆς ἔχεις γυναικός illud quod Cleefius iudicat, ad irritum cadit? Neque vero numerum pronominum rell. ad rem spectantium eorum, quae generis masc. sint, enucleare unquam poteris e numero, quem pronomina masc. et fem. generis una efficiunt; terdecies autem pronomen generis

masc. et fem. ad rem referri Reisertum docuisse iam supra diximus; quidquam quod huc pertineat aliud equidem in Reiserti libro non inveni. Nihilominus pronomen rel. masc. illud quod notionem rei contineret paululo saepius attractum esse quam id quod notionem personae exprimeret, Reisertum reperisse a Cleefio (p. 31) contenditur. Omnia vero quae de hac re explanavi si perpenderis, non dubium erit, quin Cleefius illud contendens errore quocunque fuerit implicitus. Qui, si quid video, ortus erit hoc fere modo. Quod Cleefius Reisertum demonstrasse opinatur, si numeros respicis, cum schemate quodam congruit a Reiserto ad differentiam inter enuntiationes rell. attrr. adiectivas et substantivas illustrandam ante oculos posito (p. 18). Cleefius non ea sane qua par erat diligentia inspiciens schema illud fortasse ad differentiam inter pronomina rell. rem significantia et illa, quae notionem personae exprimerent rettulit. Schema autem Reiserti, quod dico, quatenus ad rem nostram spectat, hoc est: „adjectivische Sätze haben wir:

beim Masc. : 5 i. e. attractione admissa,
" Fem. : 8,

substantivische Sätze haben wir:

beim Masc. : 4,
" Fem. : 0.

Quod schema, si ita, ut supra exposui, Cleefium accepisse credis habes, quod Cleefius dicit, pronomen masc. ad rem pertinens paululo saepius, quam id quod personam significet attractum esse, siquidem illud quinquies, hoc quater attractioni succubuit, deinde ne uno quidem loco attractioni subiectum esse pronomen femin., quod personam significet; enuntiationes igitur rell. huius modi pronomine comprehensas et enuntiationes rell. substantivi generis inter se miro quodam errore permutavit. At vero utut est, errorem inesse aliquem verbis Cleefii certum est.

Improbaverunt quidem Reisertus et Cleefius Foersteri sententiam, verisimiliorem tamen neuter excogitavit. Atque primum quidem Reisertus in scriptis Herodoteis Thucydideisque inter enuntiationes pronomine masc. aut femin. comprehensas longe plurimas adiectivi loco, paucissimas substantivi loco esse positas observavit. Ad rem igitur hanc, ut, quod omnium scriptorum exempla confirmant, enuntiationes adiectivae multo magis, quam substantivae ab attractione abhorreant, illam quam quaerimus rem revocat. Hanc sententiam non plane satisfacere Reisertus ipse haud ignorat dicens: „Diese Eigentümlichkeit kann aus dem Folgenden zum Teil wenigstens erklärt werden", siquidem alicuius rei causa primum ab huius ipsius natura, non extrinsecus quasi repetenda est. Iam, quam rationem Cleefius ingressus sit, audi. Profecto satis contorta et confusa eius est oratio, quoniam quod Reiserto concesserat, paulo post inscius negat. Reisertus vero ita argumentatus erat: non notionem rei esse causam, cur genus neutrum saepius attrahatur, quam genus masc. et fem., credendum est; nam exemplis Herodoteis pronomen rel. generis masc. et fem. ad rem pertinens saepius non attractum esse quam attractum, comprobatur. Cleefius assentitur dicens: *„bene redarguit Reisert etc."* Iam animadverte, quaeso, Cleefii ipsius sententiam Reisertianae proxime subiunctam hanc: *„Attractioni autem obnoxiam fuisse notionem personae facile intellegi potest, ex qua causa arbitror gradatim effectum esse, ut pronomen quandocumque masculini vel feminini generis esset, etiamsi notionem rei exprimeret, tamen ad similitudinem ceterorum exemplorum attractionem repelleret."* Quae verba qui attento animo perlegerit, imprimis his: *„etiamsi notionem rei etc."* Reisertianae quam Cleefius supra probavit sententiae contrariam subaudiri concedet hanc fere: „quamquam pronomina rell. notionem rei exprimentia facilius attractionem repellant." Quin etiam plane idem, quod Bohlmanni verbis his: *„Persona vero facilius quam res se tutatur,"* dicitur, Cleefius exprimeret, nisi in accipienda voce res hi viri inter se discederent. Bohlmannus, quoniam de pronominum genere agitur, iure cum hominibus genera primis distinguentibus inter notiones rei et personae eandem statuit differentiam, quam inter genus neutrum et masc. femininumque, i. e. hanc ut alterum ea, quae vi agendi vel vigendi carent,

significet, alterum omnia quae vi illa praedita sunt. Itaque omnibus, quae generis masc. aut femin. sunt, notio personae inhaeret, nulli notio rei. Contra Cleefius cum Reiserto, quae nostra aetate usitata est significatione captus pronomina masc. aut fem. rursus in personas et res significantia distribuit. Sed ut leges, e quibus attractio orta atque progressa est, recte cognoscantur, ad propriam singularum notionum naturam atque indolem redeundum est. Una cum reprobata illa distinctione omni sensu destituta est Cleefii sententia, ex qua pronomina rell. generis masc. vel fem., quae notionem rei exprimant, ad similitudinem personam significantium attractionem repulisse existimantur. Immo ut iam summam totius de pronominum genere disputationis brevi repetam, praecipua rei illius causa a Foerstero prolata est, quippe quae sola generum singulorum naturae et indoli sit accommodata. Sunt sane res quaedam fortuitae, ut ita dicam, quae ad numerum pronominum rell. generis masc. vel fem. attrr. deminuendum conferant. Ex quibus unam a me supra (p. 7) explicatam Reisertus observavit. Addo aliam. Saepenumero enim pronominum rell. generis masc. vel fem. attractionem scriptores vitasse censendum est, ut quale genus pronomini sit, e forma cognoscatur, ne sensus ambiguitas existat. Qualem locum habes in Aristotelis Eth. Nic. p. 1124b 13 editionis Bekk.: δοκοῦσι δὲ καὶ μνημονεύειν, οὓς ἂν ποιήσωσιν εὖ, ὧν δ'ἂν πάθωσιν, οὔ. Si pro οὓς dixisset ὧν, verendum erat, ne quis ὧν ex τούτων ἃ originem ducere crederet idque ad similitudinem illius, quod sequitur ὧν.

Sed satis haec sunto de casu et genere pronominis rel.

Pronomen autem rel. simplex ὃς saepius, quam compositum ὅςπερ, vel οἷος, ὅσος aliaque attractioni se dedere per se patet.

Pauca alia de pronomine rel. attrahendo in exemplis enumerandis quibus aptum erit locis proferam.

Iam, ut erat propositum, de totius enuntiationis rel. forma, qualis perferat attractionem, qualis respuat, mihi disputandum est.

Plurima quidem de enuntiationum rell. attr. natura a viris qui de attractione scripserunt prolata accipio, in una tamen re eaque gravissima dissentio. Quamobrem illa praetermittere mihi liceat eo magis, quod longa disputatione haec res eget. Krueger et Kuehner grammatici omnes enuntiationes rell. adiectivi loco positas censent, quandoquidem illas quibus ad quod pertineant nomen non adest, ad pronomen demonstrativum supplendum referunt. Quibus viris adversatur Foerster duo enuntiationum rell. attrr. genera distinguens in dissert. inscripta: „De attractionis usu Aeschyleo, Vratisl. 1866" (p. 4). Liceat autem verba eius afferre: *„Enuntiatio enim rel. attr. aut per concordiam quam dicunt, struitur, si substantivo attributi loco additur, aut per rectionem, si non ad substantivum relata, sed per se constans a vocabulo enuntiationis primariae, quod aut nomen aut verbum aut adverbium est, regitur. Prius appellari potest genus attributivum, alterum substantivum."* Res probata est omnibus viris qui postea in hanc rem inquisiverunt excepto Proskio („quaest. de attr. ap. Xenoph. usu, progr. Gr.-Strehl. 1868/9") a Kruegeri partibus stante; appellationes „attributivum et substantivum" nonnullis displicebant. Primus Schulzius („de attr. pronom. rell. apud orat. Attic. recent. usu et formis", progr. Budiss. 1882) (p. 1 adnot. 2), pro appellatione „attrib." substituit „adiectiv.". Alteram appellationem i. e. „substantivum" retinuit quidem ille vir, sed falso intellexit, cum dicat (p. 8) exempla qualia sunt τούτων ὧν, ἐκείνων ὧν similiaque generi substantivo proxima esse, qua re in enumerandis singulis adiectivi generis speciebus ab hac sibi sit ordiendum. Neque vero multum aberat, quin huiusmodi exempla generi substantivo assignaret, ut e verbis eius, quae in eadem pag. leguntur, elucet his: *„Ceterum huiusmodi exempla si quis in genere substantivo numerare maluerit, nihil morabor."* Bene certe id fecit, quod illud omisit. Quod in vitium Reisertus demum incidit. Cuius divisio ita instituta, ut species generis adiectivi illa, ubi pronomen rel. ad pronomina demonstrativa aut adiectiva pertinet, ad genus

substantivum trahatur, plane est nulla, quoniam iusto ut ita dicam principio dividendi caret. Reisertus rursus appellationes nimis premens re ipsa neglecta eo est progressus, ut rem a Foerstero bene divisam appellationi a se ipso perverse acceptae accommodaret. Etenim quod Foerster divisioni suae subiecit principium dividendi, iustum bonumque est. Neque vero appellatio „attrib. vel. adiect." in talia qualia τούτων ὧν, ἐκείνων ὧν etc. non quadrat. Nonne in his quoque exemplis enuntiatio rel. attributi vel adiectivi instar ad nomen aliquod substantivi partes obtinens refertur? Certe, ut mihi quidem videtur. Reisertus rem invertens enuntiationi rel. vim substantivi attribuit, cui attributi vel adiectivi loco τούτων, ἐκείνων similiaque sive pronomina sive adiectiva addita sint. Quodsi nihilominus appellatio „adiectiv." in illa exempla adhibita rem parum tangere ei visa est, sine dubio ratio ac via ei utenda erat potius haec, ut appellationem rei, quam ut hanc illi accommodaret. Sed etiamsi difficultas aliqua in appellatione fuisset, non nimis haec premenda erat. Nam appellationes, dummodo res sit perspicua, non ad amussim exigi debere mihi quidem videntur. Equidem igitur neque in divisione illa neque in appellationibus offendo, sed aliud quoddam me vexat multo gravius. Omnes enim qui distinctionem enuntiationum rell. attrr. in genus substantivum et adiectivum probaverunt, praeter Graeberum in libro, qui inscribitur: „die Attr. des Rel. bei Xenoph., wissensch. Beil. z. Osterprogr. des Martineums z. Breklum 1885", illius generis exempla secundum notiones reg., exempla huius generis secundum nomina, ad quae pertinent, disponunt, quasi vero horum attractio illo ad quod pertinent nomine efficiatur. Prorsus non mihi ita videtur. Immo enuntiationes generis attributivi notionibus regentibus eisdem atque alterius generis enuntiata attractionem inire coguntur. Num aliter res se habet, si adiectivum ad nomen aliquod refertur? Certe non; tantum abest, ut adiectivum per meram concordiam quam dicunt, casum nominis accipiat, ut eadem notio et nomini et adiectivo casum suum impertiat. Unde

per se elucet multo maiore vi, ut enuntiationes generis adiect., quam ut substantivi in potestatem suam redigat notioni reg. opus esse. Ita si statuis, habes, id quod maximum est, gravissimam, ut mihi videtur, causam, cur enuntiationes adiectivi generis rarius, quam substantivi attrahantur. Cui rei egregie convenit, quod adiectivi generis enuntiationes rel., quae nomini praecedunt multo saepius quam postpositae attractioni succumbunt. Nam ut enuntiationes rell. subst. gen., ita inter adiectivas illae notioni reg. nisi proxime, tamen propius quam alterae sunt positae. Casum autem, quem singulae notiones regg. impertire concupiscunt, ut ita dicam, multo vehementius propioribus quam quae longius distant pronominibus rel. imprimunt.

Quam Reisertus affert (p. 8 et 17) explicationem, e qua enuntiationes subst. gen. quia plures, quam alterae, vices gerant et ab his eo quod notionibus reg. variis obnoxiae sint, differant, artius cum enuntiato prim. conexae putantur, equidem quippe qui, ut p. 10sq. exposui, nullam inter enuntiationes adiect. et substantivas struendas differentiam agnoscam, accipere non possum. Nam rectione pari eaedem utrique generi dantur vices. Apparet nullam inter utriusque generis naturam differentiam esse statuendam talem, propter qualem enuntiationes subst. artius quam adiect. cum sententia prim. cohaereant, siquidem harum quoque quaedam species nunquam fere non attrahitur; dico eas, quae nomini praepositae sunt, cum postpositae saepe attractionem effugiant. Quamobrem mihi non dubium est, quin quaecunque enuntiationes rel. sive subst. sive adiect. quam proxime ad notionem reg. collocatae sunt, ob hanc ipsam causam firmius cum enuntiato prim. conexae attractionem inire cogantur. Quoniam enuntiationes rel. subst. semper fere, ex adiectivis pars tantum minor (i. e. quae praecedunt nomini) notionem reg. nullo fere intermisso spatio sequuntur, per se patet, cur substantivarum attrr. numerus adiect. attrr. numerum superet. Sed de hac re satis exposuisse mihi videor.

Iam quaerendum est, utrum cum mutata illa, e qua

profecti sumus, re appellatio „attrib. vel adiect.“ sit mutanda necne; non esse eam mutandam facile est intellectu, siquidem non ad id, de quo repetita est illa appellatio, mutatio spectat, quod quomodo sit intellegendum, iam breviter explicandum erit. Improbo enim illud, quod duplicem attrahendi rationem statuunt, aliam enuntiationum adiectivi generis quam in mera concordia positam esse dicunt, aliam enuntiationum subst. gen., quae notionibus regentibus effici dicitur; contra appellationes sumptae sunt e nominibus quorum locum enuntiationes rell. tenent. Quibus vicibus ut enuntiationes rell. semper funguntur, ita quas illis debent appellationes semper eaedem iis sunt indendae. Enuntiationes rell. autem aut per se solae sunt positae aut relatae ad nomen aliquod; illae adiectivi, hae substantivi vim habent, quare illas adiectivas, has substantivas cum plurimis qui de attractione quaesiverunt, nomino.

Contra exempla dividendi ratio mihi alia est eligenda. Adhuc enim, ut compluries exposui, generis adiectivi enuntiationes rell. attrr. secundum nomina ad quae pertinent, disponi solebant. Mihi vero qui non his nominibus sed eisdem quibus alterius generis enuntiationes rell. attrahuntur notionibus vim attrahendi attribuo, illae enuntiationes rell. non aliter atque hae secundum notiones regentes sunt disponendae. Excipient autem se exempla qui singulis scriptis in editione academiae Borussicae est ordine, nisi quod scripta genuina et suppositicia ita distinebo, ut in singulis quas statuam classibus horum exempla illis subiungam. Sed quomodo aliena ab iis quae Aristotelis ipsius sunt, discernere possim, quispiam ex me quaerat; neque sine iusta causa ita quaeret. Nam omissis scriptis iis quorum argumentum cum Aristotelicis sententiis pugnans alium indicat auctorem, tantum abest, ut reliqua scripta quam nunc habent formam ab Aristotele ipso acceperint, ut multa quae Aristoteles docuerat philosophus non ipse, sed eius discipuli litteris mandarent additamentis eorum ipsorum haud dubie amplificata. Cum autem discipuli eadem fere atque praeceptor dictione usi sint, eorum opera

ab Aristotelis ipsius vix unquam dissolvi possunt. Quare ego quoque ea tantum scripta, quae propter aliquam doctrinam ab Aristotele alienam huic iam a nullo assignantur, quo supra dixi modo separare possum.

Quae huc spectent scripta si quaeris, Zellero gravissimo in rebus ad Graecorum philosophiam pertinentibus auctori maxime esse confidendum censui, qui in libro egregio inscripto: Die Philosophie der Griechen (3. Aufl. Leipz. 1879) haec nominat:

π. κόσμ., π. πνεύμ.. π. ζώων κινήσ., π. χρωμ., π. ἀκουστ., φυσιογν., π. φυτ., π. θαυμ. ἀκουσμ., μηχ.. π. ἀτόμ. γρ., ἀνέμ. θέσ., π. Ξενοφ., ἠθ. μεγ., ἠθ. Εὐδ., π. ἀρετ. κ. κακ., οἰκον., ῥητ. πρ. Ἀλέξ. — Plane eiusdem generis singulos quosdam libros quorundam scriptorum, veluti metaphysicae, historiae animalium, aliorumque esse non nescius sum, sed haec ex ordine quo singulis scriptis infixi sunt, quasi evellere mihi non visum est, quae tamen in iis extant exempla ut inter cetera cognoscantur, asterisco indicasse satis habeo.

Quae in Aristotelis fragmentis a Rosio collectis exempla attractionis inveniuntur, prout Aristotelis aut aliorum verba iis continentur, huic aut illi classi scriptorum attribui.

In Aristotelis scriptis imprimis iis, ubi res absconditas scriptor docuit, attractio quippe cuius librarii parum periti sensum corruptum suspicarentur, causa mendosarum scripturarum haud semel extitit; itaque attractio nonnullis locis perverse et ingesta et sublata est. Quem corruptelarum fontem parum respicientes editores Aristotelis operum verae scripturae vestigia nonnumquam amisisse mihi videntur. Praeter Bekkerianum autem textum editionibus singulorum scriptorum usus sum his:

Organon, graece edid. Theod. Waitz, Lips. 1844.

Acht Büch. Phys. Gr. u. Deutsch u. mit sacherklär. Anmkg, herausgeg. v. C. Prantl, Lpzg. 1854.

Vier Büch. üb. d. Himmelsgebäude u. zwei Bch. über Entsteh. u. Vergehen hrsgeg. v. C. Prantl, Leipz. 1857.

De anima libri tres recogn. Guil. Biehl, Lips. Teubn. 1884.

Π. Ψυχ. (Psychology) in Greek and English with introduct. and not. by Edwin Wallace, Cambridge 1882.

De anima liber B secund. recens. Vatic. ed. Hugo Rabe Berolini 1891.

Ἱστορ. π. ζώων, Thierkunde, Krit.-bericht. Text mit deutsch. Uebersetzg. sachl. und sprachl. Erklärung. u. vollständ. Index v. H. Aubert u. Frz. Wimmer, Leipzg. 1868.

Vier Büch. üb. d. Teile der Tiere, Gr. u. deutsch u. mit sacherklär. Anmkg. herausg. v. A. v. Frantzius, Leipz. 1853.

Metaphysica recogn. W. Christ, Lips. Teubn. 1886.

Ethica Nicom. recogn. Fr. Susemihl, Lips. Teubn. 1880.

Eth. Nicom. recogn. I. Bywater, Oxonii 1890.

Politicorum libri octo rec. Fr. Susemihl, Lips. 1872.

Ars rhetor. cum nova cod. Ac et vetustae translat. collatione edid. Ad. Roemer, Lips. Teubn. 1885.

Π. Ποιητ., griech. u. deutsch, hrsg. v. Frz. Susemihl, 2. Aufl., Leipz. 1874.

Π. ποιητ. tertiis curis recogn. et adn. crit. auxit Io. Vahlen, Lips. 1885.

Ἀθην. Πολιτ. edited by F. G. Kenyon second edit. Lond. 1891.

Πολιτ. Ἀθηναίων edid. G. Kaibel et U. de Wilam.-Moellendorf, Berol. 1891.

De re publ. Ath. edid. v. Herwerden — v. Leeuwen, Lugd. Bat. 1891.

De plantis, de mirab. auscult. mechan. etc. ed. Otto Apelt, Lips. Teubn. 1888.

Magna Moral. rec. Fr. Susemihl, Lips. Teubn. 1883.

Eth. Eudem., adiecto de virtut. et vit. libello recogn. Fr. Susemihl, Lips. Teubn. 1884.

Oeconomica recens. Fr. Susemihl, Lips. Teubn. 1887.

Aristot. qui feruntur libror. fragm. collegit Val. Rose, Lips. Teubn. 1886.

Quibus in universum praemonitis iam ad ipsa exempla primum adhibitae, deinde omissae attractionis aggredior.

Cap. I.

De attractione admissa.

Attractionis naturam in primordio exposuimus in eo esse positam, ut enuntiationes rell. quae ad enuntiatum prim. recte intellegendum necessariae sunt, cum hoc ita coalescant, ut pronomen rel. non a praedicato enuntiationis rel. sed a quadam cui obnoxia est notione enuntiati prim. casum accipiat. Quod fieri non posse nisi externae utriusque casus formae inter se discrepent, per se patet. Ob hanc causam primum quidem notio reg. ea quae eundem atque enuntiationis rel. praedicatum, e quo pronomen rel. pendet, casum requirit, non aliam formam pronomini rel. imprimere potest, veluti loco Π. Σοφ. Ἐλεγχ. 178a 37 ὅτι δοίη ἄν τις ὃ μὴ ἔχει enuntiatio rel. ad enuntiatum prim. determinandum tam necessaria est, ut enuntiatio rel. e δοίη verbo pendens sit cogitanda et nescio an, si δοίη genetivum vel dativum regeret, pronomen rel. hunc casum induturum fuerit. Eiusdem generis exempla, ut plura afferam, mihi videntur esse haec: Ρητ. 1371b 1, 1372a 21, 1380b 27 etc. Inter diversos autem casus terminatione eadem exornati sunt nominativus et accusativus neutrius generis; huiusmodi exemplum est hoc: Μεταφυσ. 1027b 3 καὶ οὕτως ἥξει εἰς ὃ νῦν ὑπάρχει, ἢ εἰς τῶν γεγονότων τι.

Extat tamen alia ratio, qua necessitudo quae enuntiato rel. cum primario est, indicari possit; enuntiatio enim rel. non nimis ampla inter enuntiati prim. ambitum quendam habentis verba pariter atque quodlibet aliud membrum inicitur. Nihilominus non desunt exempla, in quibus illa quoque quam equidem quaero attractio cerni videtur, dico imprimis illa, ubi praepositio enuntiationem rel. regit,

quale hoc: Μεταφυσ. 1045b 36 οὐ μὴν χρησίμη γ' ἐστὶ πρὸς ὃ βουλόμεθα νῦν. Nam cum praepositiones in prosaica certe lingua absolute non ponantur, pronomen rel. ad πρός, non ad enuntiati rel. praedicatum i. e. βουλόμ. videtur referendum esse. Sed ita num revera sit, pro explorato non est habendum, siquidem pronominis rel. forma non mutata nullam affert certitudinem, utrum pronomine demonstrativo omisso pronomen rel. praepositioni obnoxium sit factum, an structuram enuntiati rel. praedicato ei datam retinuerit. Quae cum ita sint, in medium proferenda quidem erunt illa exempla, neque tamen cum iis, quae attractionem certam exhibent, commiscenda, sed separanda; iuvat autem illa his praemittere. Utriusque generis exempla secundum casus pronominis rel. attrahendos disponam, qui quomodo in attractione patienda differant, supra exposui.

Nonnulla nunc de casibus obiecti i. e. dativ. et accus. sunt addenda. Qui casus praeter obiecti partes etiam alias gerunt. Atque primum quidem accusativus praeter obiectum etiam subiectum nonnumquam repraesentat. Quae differentia fortiter est tenenda. Nam ut casus obiecti saepissime, ita subiecti casus rarissime attractionem ineunt. At obiecti accusativus duplicis generis est, quoniam externum quod vocant obiectum et internum vel immanens discernuntur. Quaerenti mihi, quo ordine triplicis illius generis exempla in medium sint proferenda, a genere maxime ad attractionem proclivi ad minus idoneum progredi visum est. Quamobrem exempla in quibus pronomen rel. obiectum externum repraesentat, primo loco tractanda erunt. Neque enim pronomen rel. immanentis obiecti vices gerens ad attractionem patiendam omnibus numeris absolutum est, veluti attractio accusativi immanentis illius quem in figura quae dicitur etymologica habes, finibus coartata est his, ut pluralis quidem numeri accusativus plerumque, neque tamen unquam singularis vim notionis reg. perferat, quod a Cleefio (p. 29, 30) observatum exempla Aristotelea infra proferenda non refellunt. Subiecti autem accusativus propriam attractionem omnino non exhibet pronomine rel. e nulla

alia notione nisi e praepositionibus accusativum regentibus pendente. Haec hactenus de accusativo. Quae dativi diversa genera extant, item in exemplis singularum classium enumerandis distinguam.

Iam exempla ipsa sequuntur; praecedit, ut propositum est,

§ 1 classis illorum exemplorum, in quibus propter causas satis explanatas forma pronominis rel. non mutata attractio oculis non perspicitur.

I. Accusativus pronominis rel. attractionem experitur.

1) Accusativo continetur obiectum externum.

a) exempla generis subst.:

Ἀναλ. ὕστ. 85a 32 ἡ δ' ἀπόδειξις δόξαν ἐμποιεῖ εἶναί τι τοῦτο καθ' ὃ ἀποδείκνυσι,

Μεταφυσ. 985a 5 (19) εἰ γάρ τις ἀκολουθοίη καὶ λαμβάνει πρὸς τὴν διάνοιαν, καὶ μὴ πρὸς ἃ ψελλίζεται λέγων Ἐμπεδοκλῆς, 1005b 14 περὶ γὰρ ἃ μὴ γνωρίζουσιν, ἀπατῶνται πάντες, 1041a 2 καίτοι κἄν, εἰ μὴ ἑωράκειμεν τὰ ἄστρα, οὐδὲν ἂν ἧττον οἶμαι ἦσαν οὐσίαι ἀΐδιοι παρ' ἃς*) ἡμεῖς ᾔδειμεν (scilic. οὐσίας). 1045b 36 οὐ μὴν χρησίμη γ' ἐστὶ πρὸς ὃ βουλόμεθα.

Ποιητ. 1461b 18 ὥστε καὶ αὐτὸν ἢ πρὸς ἃ αὐτὸς λέγει ἢ ὃ ἂν φρόνιμος ὑποθῆται.

Πολ. τ. Ἀθην. XLIII, 2 (numeri spectant ad edit. Kaib. et Wilam.-Moell.) πρυτανεύει δ' ἐν μέρει τῶν φυλῶν ἑκάστη καθ' ὅτι ἂν λάχωσιν. Duplici modo καθ' ὅτι explicare licet, aut ut per attractionem pro κατὰ τοῦτο ὅτι dictum aut πρυτανεύειν verbo ad quod κατὰ praepositio refertur, in enuntiatione rel. mente addendo. Me quidem iudice non est, cur alteram rationem alteri praeferamus.

Ἠθ. μεγ. 1188b 7 ὅσοις μὲν οὖν ἐστιν ἐκτὸς ἡ αἰτία τοῦ παρὰ φύσιν τι ἢ παρ' ἃ βούλονται ποιεῖν, 1211b 35 πάντες γὰρ πρὸς ὃ ἂν αὐτοὶ ποιήσωσι, πρὸς τοῦτό πως καὶ εὔνοοί εἰσιν. 1212a 21 πρῶτον μὲν γὰρ οὐκ ἔστιν ἡ ὁμόνοια ἐν τοῖς νοητοῖς,

*) ἃ Ab.

ἀλλ' ἐν τοῖς πρακτοῖς, καὶ ἐν τούτοις οὐχ ἡ νοοῦσι ταὐτόν, ἀλλ' ἡ ἅμα τῷ ταὐτὸν νοεῖν προαίρεσιν ἔχουσι περὶ ἃ νοοῦσιν ἐπὶ ταὐτά.

περὶ praepositio utrum ad προαίρεσιν ἔχειν an ad νοεῖν verbum finitum enuntiati rel. sit trahenda, non satis perspicuum mihi quidem est. Illud si fit, extat, hoc si fit, deest attractio. Oratio autem huius loci ita fere procedit: „concordia non in eo est posita, quod homines idem sentiunt, sed simul cum idem sentiendo petunt, quod sentiunt idem.“ Ut iam utra propius probabilitati accedere mihi videatur explicatio, exponam, primum num νοεῖν περί τι nostri loci sensui bene sit accommodatum, dubius sum; deinde qui περὶ ἃ νοοῦσιν in unum coniungit, ei ἐπὶ ταὐτὰ ad προαίρεσιν ἔχειν trahendum est, unde fit, ut ἐπὶ ταὐτὰ cum summa vi dictum esse videatur. Verumenimvero gravissime προαίρεσιν ἔχ. dictum vult scriptor, ut satis ex horum verborum singulari collocatione elucet. Quorum vis magis dilucida fit, si περὶ cum iis coniungis, contra obscuratur vel prorsus detracta est, si quod longe distat ἐπὶ ταὐτὰ solum ad ea refers. Utrumque et περὶ et ἐπὶ ad elocutionem προαίρεσιν ἔχ. referri potest, sed ita, ut illud priorem, hoc alterum teneat locum. Neque tamen, si sensum respicimus ἐπὶ cum νοεῖν coniungere non licet, quamquam haec coniunctio num in litterarum monumentis inveniatur ambigua res est. Hoc vero certum est, νοεῖν ἐπὶ magis quam νοεῖν περὶ nostri loci sensum tangere. Haec de hoc loco sufficiant.

Quae modo protulimus exemplorum classi assignandae sunt formulae quaedam plane in coniunctionum vim degressae, veluti καθὰ. Cum nihil nisi origo iis cum attractione commune sit, usus autem cum coniunctionum usu prorsus congruat, locis in quibus inveniuntur enumerandis supersedere mihi liceat.

Iam venio ad exempla, in quibus

b) enuntiatio rel. ad nomen refertur i. e. genus adiect.:

Ne inter haec quidem omnia pari cum certitudine pro attractis haberi possunt. Nam in aliarum classium exemplis

enuntiationes rell. nomini postpositas attractionem nonnumquam, contra antepositas nunquam vitare observavimus; quam ob causam haec sola in medium proferam, quia horum imprimis pronomina rel. e praepositione pendentia sunt cogitanda:

Π. Γεν. κ. Φθορ. 319a 4 καθ' ὃν εἴπομεν νῦν τρόπον, 336b 26 ἀεὶ δ' ὥσπερ εἴρηται, συνεχὴς ἔσται ἡ γένεσις καὶ ἡ φθορὰ καὶ οὐδέποτε ὑπολείψει δι' ἣν εἴπομεν αἰτίαν. Attractio hoc loco non extat, si ex enuntiato prim. in enuntiatione rel. accusativum αὐτὰς cum infinitivo verbi antecedentis cogitatione repetere mavis.

Προβλ. 915b 24 καθ' ἣν δ' ἔχει ἀλλοτρίαν. ἀνάγκη ἔτι κινεῖσθαι,

frgm. 241, p. 182, 2 (numeri ad Rosii edit. Teubn. Lips. 1886 spectant) ἐπάνεισι δὲ ἐν ταῖς νόσοις καὶ ἐπὶ τὴν ἄνω κοιλίαν δι' ἃς ἐν ἐκείνοις αἰτίας λέγει,

(cf. frgm. 609, p. 369, lin. 11 ἣ δι' ἣν Ἀριστοτέλης ὁ φιλόσοφος αἰτίαν ἱστόρηκε).

Hoc et illo qui praecedit loco aliam atque adhuc enuntiationis rel. collocationem animadvertimus. Nam enuntiationis rel. maior pars ante, minor post nomen collocata est, vel melius fortasse dicendum erit nomen inter enuntiationis rel. verba esse iniunctum.

Haec hactenus de accusativo obiecti externi attracto. Transeo iam ad

2) obiectum quod vocatur immanens:

Duo tantum sunt exempla, unum generis subst. in scripto pseudaristotelico:

Ἠθ. Εὐδημ. 1224b 1 ὁ δ' ἐγκρατὴς ἐφ' ἃ πέπεισται ἄγει. καὶ πορεύεται οὐ βίᾳ ἀλλ' ἑκών.

alterum generis adiect.:

Π. Οὐρ. 298b 13/14 οἱ μὲν οὖν πρότερον φιλοσοφήσαντες περὶ τῆς ἀληθείας καὶ πρὸς οὓς νῦν λέγομεν ἡμεῖς λόγους καὶ πρὸς ἀλλήλους διηνέχθησαν.

3) Subiecti accusativus attractionem patitur.

Accusativus subiecti attractionem apud Aristotelem paene non init. Nisi enim praepositionibus nulli alii notioni reg. ille casus succumbit. Quid quod illae praepositiones ipsae accusativum regunt, qualia exempla, ut supra docuimus, incertae sunt attractionis. Quo quantopere subiecti casus ab attractione abhorreant, dilucide comprobatur neque minus e nominativi attractione cognoscetur.

Accusativi autem, qui subiecti partes habet, attracti exempla haec sunt:

'Αναλ. προτ. 44 a 3 ὅταν δὲ μηδενὶ δέῃ ὑπάρχειν, ᾧ μὲν οὐ δεῖ ὑπάρχειν, εἰς τὰ ἑπόμενα, ὃ δὲ δεῖ μὴ ὑπάρχειν, εἰς ἃ μὴ ἐνδέχεται αὐτῷ παρεῖναι.

Ante εἰς βλεπτέον quod in p. 43 b 40 legitur, supplendum et cum εἰς coniungendum est. Nam cum idem enuntiatum rem eandem vario modo persequens eodem modo formatum redeat, certa quaedam verba ad supplendum facilia scriptor omisit, ne oratio verbis iisdem compluries repetitis invenuste et languide flueret. Quater autem enuntiatum forma fere idem positum est. Forma omnium communis haec est, ut conditionalem protasin, pro qua in primo loco participium substitutum est, sequatur enuntiatum prim. vel. apodosis. Iam quae enuntiata dicam, initio eorum adscribendo indicabo; primum incipit verbis his: Κατασκευάζειν οὖν....... (p. 43 b 39 sqq.), alterum: ἣν δὲ μὴ ὅτι....... usque ad ἑκάτερον, tertium: ὅταν δὲ μηδενὶ....... quartum: ἐὰν δέ τινι μὴ....... (p. 44 a 9). Singula verba interdum non repetita haec sunt: ante unamquamque apodosin deest βλεπτέον; in protasi alterius enuntiati ὑπάρχειν verbum est omissum; δέῃ verbum in protasi quinti enuntiati (p. 44 a 9) supplendum est; εἰς ταῦτα (scilic. βλεπτέον) deest ante alterius et quinti enuntiati (43 b 43 et 44 a 9) apodosin (i. e. ante οἷς); denique praepositio εἰς sola ad similitudinem eius quem supra protuli loci exspectanda est ante ἃ in p. 44 a linea 4 extrema. Ut reliquae voces, ita etiam praepositio nulla de alia nisi quam supra dixi causa omissa est. Eadem vero causa

unice iusta esse mihi videtur, cur praepositio ante pronomen quamvis exspectanda tamen non ponatur, si ad quod pronomen rel. spectat nomen eidem obnoxium est. Cuius rei causa nisi alicuius universalis, ut ita dicam, esset naturae, quod totius linguae gr. proprius est hic usus, non esset explicandum. Aristotelici autem huiusmodi loci, ut nonnullos tantum afferam, hi sunt:

Μεταφυσ. 991 b 8 et 1080 a 8 ὥστε δῆλον ὅτι ἐνδέχεται καὶ τἆλλα καὶ εἶναι καὶ γίγνεσθαι διὰ τοιαύτας αἰτίας οἵας καὶ τὰ ῥηθέντα νῦν. 1086 b 29/30 οὐκ ἔσται ἄρα πλείω ἄλφα ἑνός, οὐδὲ τῶν ἄλλων στοιχείων οὐθὲν κατὰ τὸν αὐτὸν λόγον ὅνπερ οὐδὲ | τῶν ἄλλων συλλαβῶν ἡ αὐτὴ ἄλλη καὶ ἄλλη.

Ῥητορ. 1368 b 15 ἐὰν γάρ τινες ἔχωσι μοχθηρίαν ἢ μίαν ἢ πλείους, περὶ δὲ τοῦτο, ὃ μοχθηροὶ τυγχάνουσιν ὄντες, καὶ ἄδικοί εἰσιν,

Ζῳ. Γενεσ. 741 b 30 καὶ τοῦτο γίγνεται ἐν πᾶσιν, ὅσοις τὸ ἄνω καὶ τὸ κάτω διώρισται, πλὴν ἐν τοῖς ἐντόμοις.

Πολ. τ. 'Αθην. IV 2 ἐγγ[υη]τὰς δ' ἐκ τοῦ αὐτοῦ τέλους δεχομένους οὗπερ οἱ στρατηγοὶ καὶ οἱ ἵππαρχοι.

Quantum ex hoc loco lacunoso cognoscitur, e δεχομένους in enuntiatione rel. δέχονται forma cogitatione repetenda est. — Sed haec satis sunt exempla Aristotelis. — Verumenimvero huius totius usus mentionem omnino non fecissem, nisi Cleefius simplicem illam causam non perpendens attractionem statuisset, nullo nisi argumento allato hoc, ut verbis (p. 44) eius utar: „*Hoc* (melius dixisset *hunc usum* vel simile aliquod) *non minus attractioni adsignavi, quam quae in capitulo tertio protuli.*“ Quo capite vir ille disputat de locis qualis hic est:

Pl. Prot. 354 E πρὸς ὃ ἐγὼ λέγω, quod redit ad: πρὸς τοῦτο, ὃ ἐγὼ λέγω.

Neque vero multis verbis opus est ad demonstrandum, ut huiusmodi exempla cum illis confundantur nullo modo posse fieri. Nam primum quidem in exemplis ipsis attractio incerta est, siquidem meram pronominis demonstr. omissionem statuere licet; sin autem attractionem his locis agnos-

cis, ea ita est cogitanda, ut accusativus obiecti praepositioni eundem casum regenti obnoxius non formam quidem, sed significationem accipiat aliam. Contra in exemplo veluti hoc: *διὰ τοιαύτας αἰτίας, οἵας (= δι'οἵας)* omissa praepositione pronomen rel. neque in formam aliam neque vim abit. Immo, ut repetam, noster ille a quo ad hanc pervenimus digressionem locus similesque (452 a 11, 1085 a 33, 1205 a 19) scriptores gr. verborum repetitionem non vitare nisi de causis rhetoricis, ne oratio eisdem vocibus nimis onusta languide procedat, luculentissime docent. Ergo pro ellipsi verius quam pro attractione habendus erit ille usus. Inversa ratio ad eandem praepositionum cumulationem tollendam adhibetur, si enuntiatio rel. substantivi generis est; quale exemplum hoc est: Μεταφυσ. 1004 b 25 ἔστι δὲ ἡ διαλεκτικὴ πειραστική, περὶ ὧν ἡ φιλοσοφία γνωριστική, ubi ante περὶ ὧν supplendum est π. τούτων. Id quomodo cogitandum sit, equidem a Kruegero grammatico dissentio. Apparet primum statui posse viam (ne longus sim) hanc: π. [τούτ.] [π.] ὧν, quam ubi adiectivi generis enuntiationes rel. erant, adhibitam vidimus (p. 21); Krueger in gr. § 51, 13, not. 7, hanc eandem in his de quibus nunc agitur exemplis probat. Equidem prorsus dissentio. Nam in illis quae p. 21 protuli exemplis scriptor coactus erat praepositionem alteram omittere, quippe qua nomen priorem locum tenens minus quam pronomen rel. carere potuerit. Quod obstaculum cum in enuntiationibus rel. subst. gen. non adesset, non est, cur scriptor non simpliciore ratione usus sit hac, ut una cum demonstrativo pronomine praepositionem cum hoc coniunctam eiceret ([π. τούτ.] π. ὧν). Sed utramcunque probas rationem, neque haec, ut per se elucet, neque illa, ut supra satis exposui, cum attractione nostra comparanda est. Qui plures eiusdem generis locos desiderat, hos conferat: 115 a 32, 172 b 18, 167 a 17, 310 a 16, 403 b 21, 903 b 24, 1004 b 25, 1207 b 1, 1394 a 25, 1417 b 9 etc.

Iam redeo ad accusativum subiecti, cuius attractionis quattuor restant exempla haec:

Π. Σοφ. Ἐλεγχ. 174 b 21 ὁμοίως τὰ ἐναντιώματα θεωρητέον ἢ πρὸς τὰ ὑφ' ἑαυτοῦ λεγόμενα, ἢ πρὸς οὓς ὁμολογεῖ καλῶς λέγειν ἢ πράττειν, ἔτι πρὸς τοὺς δοκοῦντας τοιούτους ἢ πρὸς . . . . . . κ. τ. λ.

Μηχ. 849 b 38 πρὸς ὃ βούλονται ῥέπειν ποιοῦντες.

Ἠθ. Εὐδ. 1223 b 8 τὸ γὰρ παρ' ὃ οἴεται βέλτιστον οἴεται πράττειν.

Ne primo obtutu dubium sit, quin ὃ subiecti vicibus fungatur, quomodo verba secundum structuram gramm. se excipere debeant, addere non abs re videtur esse: τὸ γὰρ πράττειν παρὰ τοῦτο, ὃ οἴεται βέλτ. εἶν.

Quod reliquum est exemplum, est generis adiectivi et extat in scripto genuino:

Ποιητ. 1461 b 14 πρὸς ἃ φασι τἄλογα.

II. Dativus attractionem patitur.

Ex duobus huc spectantibus exemplis alterum dativum possessivum, alterum obiecti dativum attr. exhibet: Ζῴ. Ἱστ., 515 b 24 ἀλλ ἐν οἷς μή εἰσι καμπαὶ ἀλλ' ἄποδα καὶ ἄχειρά ἐστι, λεπτὰ καὶ ἄδηλα. quae enuntiatio haud dubie solvenda est in formam pleniorem hanc: ἀλλ' ἐν τούτοις (i. e. ζῴοις), οἷς μή εἰσι κ. τ. λ.

Ne ab hoc loco illam de qua nunc agitur attractionem abiudices fortasse ἐν praepositionem cum εἶναι coniungendam esse ratus, scito Aristotelem semper εἶναί τινι, nunquam εἶναι ἔν τινι ad habendi significationem exprimendam usurpare, veluti in eiusdem scripti locis his: 524 b 22, 588 a 30, deinde in ζῴ. γεν. 781 b 13 aliisque.

Aliter res se habet in Ζ. Ἱστ. 517 a 9: Ἔτι δ'ἐστὶν ἄλλα γένη μορίων, ..., ἐν οἷς ὑπάρχει ταῦτα τὰ μόρια τῶν ζῴων.

ἐν οἷς duplicem admittit explicationem; aut attractionem repraesentat ortam ex ἐν τούτοις τῶν ζῴων οἷς ὑπάρχει aut nulla est attractio, cum ὑπάρχ. ἔν τινι non abhorreat ab usu dicendi Aristotelico, cuius testes sunt loci hi: 428 a 22, 436 a 6, 1379 b 2, 742 a 37, 767 b 36, 768 b 24. Quam-

obrem utra ratio vera sit, pro certo affirmare non licet; satis igitur habendum erit, utra probabilitati propius accedere videatur, eruisse. Me vero, ut attractionem hoc loco statuam, duplex quaedam causa permovet; primum ὑπάρχειν τινὶ longe creberrime apud Aristotelem invenitur; deinde enuntiationes rell., quae nomini ad quod pertinent praecedunt, nunquam fere attractionem non perpessas esse ab omnibus qui in attractionem inquisiverunt observatum est. Propter hanc alteram causam inter attractionis exempla nescio an referendus sit etiam locus hic:

Ζῷ. Ἱστ. 622 a 9 τὸ χρῶμα μεταβάλλων καὶ ποιῶν ὅμοιον οἷς ἂν πλησιάζῃ λίθοις. οἷς una cum λίθοις ex ὅμοιον adiectivo ad attractorum locorum similitudinem pendere mihi videtur.

Προβλ. 917 b 15 ἢ διότι τοῖς μὲν πόῤῥω ἀφ'ἡμῶν ἀπιστοῦμεν, ἐφ'οἷς δὲ ἀπιστοῦμεν, οὐχ ἡδόμεθα.
In duplicem modum ἐφ'οἷς solvere licet, aut in ἐπὶ τούτοις, ἃ (i. e. accus. obi. imman.) aut ἐπὶ τούτοις, οἷς; utra ἀπιστεῖν verbi structura nostro loco sit supponenda, a scriptore ipso dirimitur, qui ἀπιστεῖν verbum in enuntiato praecedente non cum accusativo, sed cum dativo (τοῖς μὲν ...... ἀπιστοῦμεν) coniungit.

III. Genetivi attracti exempla:

a) enuntiatio rel. e nomine pendet:

Ἀναλ. ὕστ. 98 b 17 τὸ γὰρ αἴτιον πρότερον οὗ αἴτιον (scilic. ἐστ.) quod dictum est pro: τὸ γ. αἴτ. πρ. τούτου οὗ αἴτ.

Μεταφυσ. 1087 a 3 πρότερον δέ τὸ στοιχεῖον καὶ ἡ ἀρχὴ ὧν ἀρχὴ καὶ στοιχεῖόν ἐστιν. Ut ἢ particula comparativa ante ὧν omitteretur, sane quidem propter ἀρχή nomen in η exiens facile fieri potuit; quae suspicio nutrimentum, ut ita dicam, accipit eo quod loco pariter formato omnes codices illam particulam exhibent. Qui locus in eodem scripto 1070 b 2 legitur ita: πρότερον δὲ τὸ στοιχεῖον ἢ ὧν στοιχεῖον. Neque tamen desunt loci eadem particula carentes, in quibus de librariorum errore minus quam nostro loco cogitare licet, siquidem non

eadem, quamvis bis simillima, littera ante locum lacunosum scripta legitur. Sunt autem tres; unus in genuino scripto Ἀναλ. ὕστ., duo in pseudaristotelicis; ille ante nostrum de quo sermo est, a me enotatus est secundum ordinem propositum; qui non Aristotelis sunt, iam sequuntur:

Φυσιογν. 806 a 6 ἀλλὰ δεῖ ἐκ πλείστων τε ἐκλέγεσθαι ζῴων, καὶ μηδὲν πάθος κοινὸν ἐχόντων ἐν τῇ διανοίᾳ ἄλλο τι, οὗ ἂν τὰ σημεῖα σκοπῇ.

Frgm. 188 (p. 151, lin. 13) εἰ γὰρ ἄλλος ὁ κατηγορούμενος ὧν κατηγορεῖται, ... κ. τ. λ.

Quorum tamen locorum integritas cum pro certo affirmari nequeat, tota res in ambiguo remanet.

b) enuntiatio rel. pendet e praepositione:

Τοπ. 144 a 33 οὐ γὰρ κατὰ τῆς διαφορᾶς, ἀλλὰ καθ' ὧν ἡ διαφορά, τὸ γένος δοκεῖ κατηγορεῖσθαι,

καθ' ὧν contractum est ex κατὰ τούτων ὧν, qua contaminatione opus erat, siquidem omisso εἶναι praedicato, e quo ὧν genetivus pendet, enuntiatio rel. omni vi exuta per se constare non potuit.

Φυσ. Ἀκρ. 195 b 7 ὁμοίως δὲ λεχθήσεται καὶ ἐφ' ὧν αἴτια τὰ αἴτια τοῖς εἰρημένοις, qui locus in Μεταφυσ. 1014 a 10 repetitur; ἐπὶ ad λεχθήσεται i. e. enuntiati primarii verbum finitum pertinere verba paulo post sequentia καὶ ἐπὶ τῶν συμβεβηκότων ὡσαύτως, quibus mente sine dubio λεχθήσεται addendum est, demonstrant.

Π. Ἐνυπν. 458 b 16 περὶ οὗ γὰρ αἰσθανόμεθα, πολλάκις καὶ διανοούμεθά τι.

Μεταφυσ. 1088 b 5 ἔτι δὲ τὰ στοιχεῖα οὐ κατηγορεῖται καθ' ὧν στοιχεῖα,

Ῥητορ. 1395 a 5 (γνωμολογεῖν) περὶ δ' ὧν ἄπειρος, ἠλίθιον καὶ ἀπαίδευτον.

Huc spectare videntur etiam: Ἀναλ. ὕστ. 93 a 27 καθ' ὅσων δ' ἔχομέν τι ῥᾷον. Nam paulo post legitur: ὧν οὖν ἔχομέν τι κ.τ.λ.; ob eandem causam καθ ὅσον lectio ad irritum cadit, quam codicis B librarius per neglegentiam pro καθ' ὅσων substituit.

Φυσ. Ἀκρ. 204 b 2 ἡμεῖς δ' ἐπισκοποῦμεν περὶ τῶν αἰσθητῶν καὶ περὶ ὧν ποιούμεθα τὴν μέθοδον.

Μεταφυσ. 1008 a 12 εἰ δὲ περὶ πάσας, πάλιν ἤτοι καθ' ὅσων τὸ φῆσαι καὶ ἀποφῆσαι καὶ καθ' ὅσων ἀποφῆσαι καὶ φῆσαι, ἢ κατὰ μὲν ὧν φῆσαι καὶ ἀποφῆσαι, καθ' ὅσων δὲ ἀποφῆσαι οὐ πάντων φῆσαι.

Hoc et qui praecedit loco num enuntiatio rel. praepositione cum enuntiato prim. cohaereat, incertum est. Nam cum non solum μέθοδόν τινος ποιεῖσθαι et φῆσαί (ἀποφῆσαί) τινος (cfr. 1008 a 18, ubi quod unus tantum codex E accusativum offert, nihil valet) sed etiam μέθοδον ποιεῖσθαι περί τινος et φῆσαι (ἀποφ.) κατά τινος dicere liceat, praepositionem etiam in enuntiationis rel. structura causam habere posse apparet. Quod si statuis, nulla extat attractio, quoniam pronomen rel. per duplicem rectionem regi non potest. Sed nonne eandem praepositionem verbum enuntiati prim. poscit? Certe vero flagitat in priore quidem loco, ut apparet ex verbis περὶ αἰσθητῶν. ab altero vero genetivi structura non aliena est. Itaque quomodo fiat, ut e duabus praepositionibus una tantum remaneat, quaerendum est. Quod cum alio loco (p. 22) copiosius explicaverim, rogo, ut hunc locum conferas. Utrique loco modo tractato simillimus est hic:

Τοπ. 128 a 13 σκεπτέον, εἰ καθ' ὧν ἀπεδόθη τὸ γένος, ἐν τῷ τί ἐστι κατηγορεῖται.

Quam in antecedentibus exemplis adhibitam videmus contaminatio omissa est locis his:

Μεταφυσ. 1070 b 14 οὐσίαι δὲ ταῦτά τε καὶ τὰ ἐκ τούτων ὧν ἀρχαὶ ταῦτα, 1043 b 7 οὐ γάρ ἐστιν ἡ σύνθεσις οὐθ' ἡ μίξις ἐκ τούτων ὧν ἐστι σύνθεσις ἢ μίξις.

Ῥητορ. 1395 a 3 περὶ δὲ τούτων ὧν ἔμπειρός τίς ἐστιν.

Causam, cur in aliis exemplis adhibita, in aliis omissa sit attractio, in eorum ipsorum natura atque indole quaerendam esse, accuratius, si ad propriam attractionem pervenerimus, persequemur. Quam differentiam in his quoque modo prolatis locis dispicere nunc breviter indicasse

potius quam explanasse satis habeo. Quorum locorum alterum genus si cum altero conferes, quae attractioni succubuerint enuntiationes rel. praedicati plerasque expertes esse, in contrarii generis exemplis rem contrarie se habere apparebit. Unde equidem addito verbo praedicativo fulcrum, quo per se facilius constare et attractionis vim repellere potuerint, has enuntiationes rel. accepisse, quo illae caruerint, concludere non dubito. Ut eiusdem classis exempla et adhibitae et omissae attractionis quantum fieri posset in unum locum congererentur neve ad eandem rem iterum redeundum esset, accusativi non attracti exemplum quoddam non cum attractis commiscere, sed cum ceteris omissae illius quam nunc quaerimus attractionis exemplis consociare visum est. Invenitur autem in scripto pseudarist. hoc:

Ἠθ. Μεγ. 1182 b 34/5 ὅτι ὁ αὐτὸς λόγος ἐφαρμόττει ἐπί τε τἀγαθὸν καὶ ἐπὶ τοῦτο ὃ ἂν βουλώμεθα δεῖξαι ὅτι ἀγαθόν.

Causa omissae attractionis videtur fuisse haec: enuntiationum enim rel. quae a pronominibus accusativo anticipato comprehensis incipiunt natura fert, ut enuntiationi rel. ipsi aliqua enuntiatio secundaria adhaereat, qua ratione illam multo difficiliorem ad regendum esse factam per se patet.

IV. Nominativus pronominis rel. neutralis e praepositionibus accusativum regentibus pendet.

Nominativi naturam ab attractione admodum esse alienam, a nullo qui in attractionis usu versatus est nescitur. Quamobrem nisi omni auxilio exutus nominativus attractioni non succumbit. Quod ut magis perspicuum fiat, exempla huius casus attractionem exhibentia secundum praedicativa verba, quippe quorum significatio, utrum attractio existat necne, magni sit momenti, disponere non abs re erit: Agmen autem ducunto, quae verbo auxiliari, quippe quod levissimae sit significationis, comprehenduntur enuntiationes rel.:

'Αναλ. πρότ. 69 b 24 ἐν μέρει δέ, πρὸς ὅ ἐστι καθόλου καθ' οὗ λέγεται ἡ πρότασις.

Quod paulo ante (69 b 10) substantivo solo: πρὸς τὸ καθόλου dictum est, in exemplo nostro enuntiatione rel. πρὸς ὅ ἐστι καθόλου circumscribitur; habes igitur luculentissimum documentum, quantopere enuntiationes attr. unam tantum efficiant notionem.

Τοπ. 116 a 20 δεῖ δ' ἄγειν πρὸς ὅ τι ἂν ᾖ χρήσιμον, τὸ ῥηθησόμενον.

Qui locus non nullius est momenti propterea quod enuntiationis rel. praedicatum nomine χρήσιμον auctum est. Id si fit, attractio simul cum pronomine in hoc nomen irrepere solet. Sed in omnibus quae hanc rem testantur exemplis enuntiatio rel. verbi auxiliaris expers est. E duobus illis exemplis, ubi verbum auxiliare non deest, quorum alterum nostrum est, hoc certi quidquam non docetur, siquidem ut pronomen rel. de causa satis nota, ita etiam nomen praedicativum omnino immutatum manet. In altero autem exemplo, ad quod si paulo infra pervenerimus huius rei memores copiosius disseremus, pronominis rel. forma mutata est, nominis praedicativi non item.

Iam revertendum est ad exempla secundum ordinem propositum enumeranda; sequuntur duae enuntiationes rell. ὑπάρχειν verbo comprehensae:

II. Αἰσθ. καὶ Αἰσθητ. 439 b 8 τὸ ἄρα διαφανὲς καθ' ὅσον ὑπάρχει ἐν τοῖς σώμασιν (ὑπάρχει δὲ μᾶλλον καὶ ἧττον ἐν πᾶσι) χρώματος ποιεῖ μετέχειν.

Hoc loco num attractio sit, dubius sum; in duplicem enim modum καθ' ὅσον licet dissolvere. Potest esse καθ' ὅσον = [κατὰ τοσοῦτον], καθ' ὅσον, qua in explicatione enuntiationi rel. et prim. idem subiectum τὸ διαφανὲς est. Ita si statuis, nulla est attractio, siquidem κατά praepositio ad enuntiationem rel. trahitur. Contra qui hanc originem: κατὰ [τοσοῦτον], ὅσον probat pronomini rel. ὅσον sive adverbialem vim sive subiecti partes, quas una cum διαφανές supplendo gerat, vindicans, attractionem agnoscit.

Μεταφυσ. 1027 b 3 καὶ οὕτως ἥξει εἰς ὃ νῦν ὑπάρχει, ἢ εἰς τῶν γεγονότων τι.

De hoc loco idem quod de 69 b 24 dicendum est. Scriptor notione quadam usus eandem paulo post in enuntiationem rel. attr. solvit. Nostro loco illa enuntiatio rel. et quod paulo ante dictum est ἐπὶ τὸ νῦν idem significant.

Restant tres verbo ἐπιβάλλειν comprehensae enuntiationes rel. attrr. hae:

Πολιτ. 1278 b 22 οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ τὸ κοινῇ συμφέρον συνάγει, καθ' ὅσον ἐπιβάλλει μέρος ἑκάστῳ τοῦ ζῆν καλῶς. 1342 a 13 τοὺς δ' ἄλλους (ταὐτὸ τοῦτο ἀναγκαῖον πάσχειν) καθ' ὅσον ἐπιβάλλει τῶν τοιούτων ἑκάστῳ,

'Ηθ. Εὐδ. 1245 a 20 ἀλλὰ μὴν φαίνεταί γε, καὶ πάντες ἥδιον τῶν ἀγαθῶν μετὰ τῶν φίλων κοινωνοῦμεν, καθ' ὅσον ἐπιβάλλει ἕκαστον καὶ οὐ δύναται ἀρίστου.

'Επιβάλλειν in omnibus tribus locis intransitivam vim (= convenire) habet. Praepositione ad sententiam prim. pertinente καθ' ὅσον solvendum est in κατὰ τοσοῦτον ὅσον..... Superest, ut in primo exemplo enuntiationem rel. ad μέρος nomen relatam huic praecedere adnotem.

Haec sunt exempla, in quibus de attractione dubitare liceat. Nam utrum enuntiatio rel. notioni reg. revera sit obnoxia, tantum abest ut e pronominis rel. forma cognoscatur, ut explicatio locum habere possit etiam altera, e qua nihil nisi pronomen demonstrat. ante pron. rel. omissum esse statuitur.

§ 2. Iam ad attractionem venio illam, quae forma pronominis rel. mutata oculis perspicitur.

A) enuntiationes rell. verbi finiti expertes sunt.

Ex iis quae in primordio de attractionis natura indoleque disserui, enuntiationes rell. praedicati expertes ad attractionem longe aptissimas esse luculenter apparet easque eo aptiores, quo concisior ambitus earum sit. Extat

enim genus quoddam enuntiationum rel. vel ita concisarum, ut praedicato quod est verbum auxiliare, per ellipsin omisso nihil nisi pronomen rel. subiecti vices habens remaneat. Quod omni nudum auxilio, quin in enuntiati prim. structuram reciperetur fieri non potuit, neque unquam iam inde a temporibus ipsis, quibus enuntiationum rel. talium usus apparere coepit, non recepta est. Prosaicorum autem scriptorum multo magis quam poetarum hanc attractionem propriam fuisse Foerster l. l. p. 35 docuit et numero exemplorum allatorum permagno omnibus fere scriptoribus prosaicis eam gratam fuisse comprobasse mihi videtur. Apud Aristotelem vero numerus omnem modum ita excedit, ut plane in pronominum demonstr. vim illa pronomina rell. abiisse et illorum instar adhibita esse videantur. Quod quomodo sit factum, per se patet inde quod pronomina rell. sine ulla exceptione attractionem experta plane tamquam pronomina demonstr. enuntiato prim. accommodata esse videbantur. Cum origo attractionis et natura huiusmodi exemplis quippe quae attractionem simplicissimis enuntiationibus rell. initio potitam esse doceant, demonstretur, nonnulla saltem e permagno Aristotelicorum exemplorum numero in medium proferre mihi liceat:

Τοπ. 140a 16 χεῖρον ὁποιουοῦν (ὁποιουοῦν = τούτου, ὁποιονοῦν ἐστιν).

Μεταφυσ. 1033a 14 οἷον ἐν χαλκῷ σχήματος ὁποιουοῦν κ.τ.λ. (ὁποιουοῦν quod ad σχήματος pertinet, dictum est pro ὁποιονοῦν ἐστιν)

Τοπ. 153b 34 ἑνὸς ὁποιουοῦν ληφθέντος.

Τοπ. 102b 6 ....ὑπάρχειν ὁτῳοῦν,

Ποιητ. 1460b 21 ἄλλην τέχνην... ὁποιανοῦν.

Iam sequuntur quaedam attractionem quidem non exhibentia exempla, siquidem nulla notio reg. adest (pronomen enim nominativi aut adverbii alicuius partes habet) sed aeque atque priora demonstrativum pronominum rell. usum demonstrantia:

Φυσ. 'Ακρ. 203a 16: οἷον ἥδε ἡ σὰρξ καὶ τόδε τὸ ὀστοῦν,

καὶ οὕτως ὁτιοῦν. 205b 18 ἅμα δὲ δῆλον, ὅτι κἂν ὁτιοῦν μέρος δέοι μένειν.

'Αναλ. ὕστ. 74a 16 ἀλλ' ᾗ ὁπωσοῦν ἴσαι.

'Αναλ. πρ. 60a 16 ὁποτερωσοῦν τῆς ἀντιστροφῆς γινομένης. 61b 1: οὐ γίνεται συλλογισμὸς ὁποτερωθενοῦν τῆς προτάσεως λαμβανομένης.

Reliqui huc spectantes loci sunt: Κατ. 7a 29, 'Αναλ. πρ. 44a 6, 55b 6, 'Αναλ. ὕστ. 96a 6, 96b 13, 98b 38, 72a 10, 17, 19, Τοπ. 112a 20, 114a 38, 140b 20, 146b 26, 33, 147b 27, 153b 29, Φυσ. 'Ακρ. 185a 6, 187b 24, 232a 14, Π. Γεν. κ. Φθορ. 321b 26 et 28, Π. Ψυχ. 407a 11 et 16, Μεταφυσ. 1081a 18, 1081b 34 multique alii; sunt enim in universum quadringenti fere, quorum longe plurimi in scriptis logicis deprehenduntur, ubi catervatim, ut ita dicam, obvii sunt.

Ab his minimi ambitus enuntiationibus rell. attrr. iam gradatim progredior ad validiores amplioresque. Inter quas primum repraesentant gradum eae quae e pronomine praedicati partes habente et e nomine subiecti constant omisso verbo εἶναι copulativo. Hae quoque enuntiationes rell. in antiquissimis ipsis monumentis litterarum attrahi solent; exempla Homerica aliaque Foerster in libro mai. p. 32sq. congessit. Cum vero secundum regulam illam tritissimam praedicatum eundem atque subiectum casum habeat necesse sit, in his exemplis attractio una cum pronomine rel. nomen illud corripit. Quam rem notissimam duobus tantum exemplis illustrasse satis erit:

Ζῳ. ἱστ. 554b 30 ἐναφιᾶσι δὲ γόνον, ὥσπερ αἱ μέλιτται, ὅσον σταλαγμὸν εἰς τὸ πλάγιον τοῦ κυττάρου,

ὅσος ad γόνον referendum huic una cum σταλαγμός assimilatum est.

Ζῳ. γεν. 757a 24/5 πλείω γὰρ ἔχουσι θορὸν ἢ ὅσον πρὸς τὴν ὀχείαν ἱκανόν,

ὅσον — ἱκανόν per attractionem ortum est ex: ὅσος — ἱκανός; nam spectat ad θορὸν substantivum.

Si tamen inveniantur loci, in quibus pronomine rel. attracto nomen integrum remaneat, quae impedimento

fuerint quominus nomen subiciatur res eruendae nobis erunt. Et extant etiam apud Aristotelem huiusmodi complures:

Φυσ. Ἀκρ. 250a 12 εἰ δὴ τὸ Α τὴν τὸ Β κινήσει ἐν τῷ Δ ὅσην*) ἡ τὸ Γ, plenior forma haec est: εἰ δὴ....... Δ τοσαύτην (i. e. ὁδὸν) ὅση ἐστὶν ἡ τὸ Γ; exspectanda igitur erat haec attractio: ὅσην τὴν τὸ Γ.

Μεταφυσ. 1085a 33 οἱ μὲν οὖν τὰ μεγέθη γεννῶσιν ἐκ τοιαύτης ὕλης, ἕτεροι δ' ἐκ τῆς στιγμῆς (..........) καὶ ἄλλης ὕλης οἵας τὸ πλῆθος, ἀλλ' οὐ πλήθους,

perfecta fuisset attractio, si ita dixisset: οἵας τοῦ πλήθους.

In utroque loco integrum scriptor relinquens nomen finem mihi videtur persecutus esse hunc, ne orationis perspicuitas detrimentum caperet, siquidem in priore loco verendum erat ne quis ad τὴν τὸ Γ κινεῖν verbum suppleret, τὴν τὸ Γ verba verbis τὴν τὸ Β, quae in enuntiato prim. leguntur, respondere ratus, in altero autem, ne genetivus πλήθους exiguo intermisso spatio bis positus orationem obscuraret.

Hae sunt enuntiationes rell. nisi nomine subiectum repraesentante non amplificatae. Quibus subiungo eas, quae pluribus determinationibus pleniores sunt factae; determinatio aut absolute est posita aut per structuram aliquam cum enuntiatione artius conexa est; quod habes in enuntiationibus rell. a pronomine οἷος incipientibus illo, quod cum infinitivo coniunctum interpretari solemus: „aptum esse ad aliquid.“ Quem usum quippe qui ne pueris quidem ignotus sit, tangere magis quam persequi visum est; qua de causa duos tantum locos ex Aristotelis scriptis exscripsi hos:

Π. ψυχ. 424b 2 μηδὲ τοιαύτην ἀρχὴν οἵαν τὰ εἴδη δέχεσθαι τῶν αἰσθητῶν,

Ζῴ. γεν. 766b 13 ὅτι ἔχει ἀρχὴν ἐν ἑαυτῷ τοιαύτην οἵαν κινεῖν καὶ ἐν τῷ ζῴῳ καὶ διαπέττειν τὴν ἐσχάτην τροφήν,

*) Ne ὅσος quidem in cod. EHK ὅση praebentibus attractum est, quibus vix fides habenda erit.

Posterior enuntiatio rel. quamvis ampla, tamen ab attractione occupata est, qua in re quantopere illius pronominis rel. attractio inveterata fuerit satis cernitur.

Enuntiationes rell.. in quibus determinatio multo absolutior est sunt hae:

Π. οὐρ. 271a 6 ἔπειτ' εἴ τις ὑπολαμβάνει τὸν αὐτὸν εἶναι λόγον ὅνπερ ἐπὶ τῆς εὐθείας, καὶ ἐπὶ τῆς περιφεροῦς (.....), τὴν ἐπὶ τῆς εὐθείας λέγει.

Cave ne enuntiationem rel. suppleas ita: ὅνπερ ἐπὶ τῆς εὐθείας εἶναι ὑπολαμβάνει. Neque enim de ratione εὐθείας, ut graeco vocabulo ipso utar, ulla dubitatio est, sed satis percognita et clara ea est, ut elucet e verbis quae sequuntur: αὕτη (i. e. εὐθεῖα) γὰρ πεπέρανται. Quae cum ita sint, nihil nisi ἐστίν in enuntiatione rel. nostra mente supplendum est. Sin autem quis de verbo εἰδέναι vel simili quodam supplendo cogitet, ei, ut talium verborum ellipsin, nisi forte compluribus sententiis obnoxiis semel tantum ponuntur, exemplis comprobare possit, vix contingat. Nostro loco simillimus est, qui proxime sequitur:

Ζῴ. γεν. 786b 13 τὴν αὐτὴν αἰτίαν οἰητέον εἶναι ἥνπερ ἐπὶ τῆς μεταβολῆς ἣν μεταβάλλει νέα ὄντα καὶ πρεσβύτερα.

Μετεωρ. 355a 7 ἢ τὴν ἄνοδον τοιαύτην οὖσαν οἵανπερ τῇ γιγνομένῃ φλογί, (= οἵαπερ τῇ γιγν. φλ. ἐστίν).

Προβλ. 945a 21 et 23 Διὰ τί ὁ νότος οὐ πνεῖ κατ' αὐτὴν τὴν Αἴγυπτον τὰ πρὸς θάλατταν, οὐδ' ὅσον ἡμέρας δρόμον καὶ νυκτός (= τοσοῦτον, ὅσος ἡμ. δρόμος κ. νυκτ. ἐστιν.)

enuntiatio rel. ἡμέρας voce ad substantivum quod subiectum est pertinente amplificata est.

B) enuntiationes rell. utuntur verbo finito.

Quoniam igitur enuntiationes rell. attrr. quae praedicati verbi expertes sunt, percensuimus, nunc ad verbo illo exornatas est transeundum. Quae attractio ut per se gravioris quam illa momenti est, ita eo maiorem vim nanciscitur, quo absolutior verbi significatio modusque, et ab alia parte quo minor attrahendi vis notioni reg. est. Nam utraque res attractionis naturae et indoli adversatur. Cur

autem enuntiationes rell. verbi praedicativi expertes facilius, quam quibus est praedicatum, attractioni succumbant, pluribus exponere non opus est. Deest illarum pronominibus rell. ansa, qua harum pronomina rell. fulta per se constare possunt. Quae cum ita sint, exempla nunc proferenda, in quibus propria et gravissima attractio cernitur, facere non possum, quin omnia persequar. Numerus autem in scriptis Aristotelis, cuius aetate attractio nescio an maxime floruerit, tantus est, ut ne futurum sit verear, ut proposita illa ratio a simplicioribus enuntiationibus rell. ad validiores amplioresque progrediendi anxie teneri nequeat. Nam cum enuntiationum rell. vis plerumque in compluribus et diversis rebus posita sit, quomodo exempla rectissime se excipiant, difficile est ad disceptandum. Accedit, quod si varia simul respiciens enuntiationum rell. secundum quam disponendae essent vim perpenderes, diversissima exemplorum genera inter se commiscerentur. Itaque secundum unum potius dividendi principium in complures classes exempla distribuenda erunt. Cum e casu quo pronomen rel. comprehensum est, utrum enuntiatio rel. validior an debilior sit, imprimis pendeat, equidem cum ceteris qui de attractionis usu quaesiverunt, eiusdem casus attr. exempla in unam classem consociabo. Harum autem classium ordo siquidem exemplorum praecedentium ratio est habenda, maxime se commendare mihi quidem videtur hic, ut nominativi attr. exempla praemittantur, dativi quae pauca sunt, subsequantur, accusativi agmen cogant. Nam ut externa enuntiationum rell. forma quasi crescere videatur, a brevioribus ad ampliores progrediendum erit, quamquam nominativi attr. exempla exemplis accusativi attr. vi inferiora esse tantum abest ut existimem, ut utrumque genus in universum eiusdem esse gravitatis, alterum propter casum, alterum propter ambitum, persuasum habeam.

I. Nominativi attr. exempla:

Ut quantum fieri possit, constans sim, ab enuntiationibus rell. incipiendum est iis, quae quam levissimae signi-

ficationis verbis comprehenduntur neque ullis additamentis amplificatae sunt:

Ἀναλ. προτ. 53b 18 Ἐκ ψευδῶν δ' ἀληθὲς ἔστι συλλογίσασθαι καὶ ἀμφοτέρων τῶν προτάσεων ψευδῶν οὐσῶν καὶ τῆς μιᾶς, ταύτης δ' οὐχ ὁποτέρας ἔτυχεν ἀλλὰ τῆς δευτέρας,

Ἀναλ. ὕστ. 79b 41 ἀλλὰ καὶ τὴν ἑτέραν ἐνδέχεται ἀληθῆ λαμβάνειν, οὐ μέντοι ὁποτέραν ἔτυχεν, ἀλλὰ τὴν ΑΓ. 80a 15 τῆς ἑτέρας ψευδοῦς οὔσης καὶ ταύτης ὁποτέρας ἔτυχεν. 81a 9 et 34 τὴν ἑτέραν δ' ἐγχωρεῖ καὶ ὁποτέραν ἔτυχεν.

Π. ὕπν. κ. ἐγρηγ. 455b 9 μήτε δι' ἣν ἔτυχεν αἰτίαν. scriptor participium paulo ante usurpatum ἐν τῷ τυχόντι αἰσθητηρίῳ non repetiturus, enuntiationem rel. substituit, quae quasi unam participii notionem efficiens ad attractionem aptissima erat, quamquam per se explicationem statui posse etiam hanc concedo: δι' αἰτίαν δι' ἣν ἔτυχε.

Ῥητ. 1356b 35 καὶ γὰρ ἐκείνη συλλογίζεται οὐκ ἐξ ὧν ἔτυχεν (.........) ἀλλ' ἐκείνη......

Quicunque in attractionis nostrae usu, qualis apud scriptores graecos fuit, versati sunt ennutiationes rell. modo coniunctivo aut optativo comprehensas magis quam quae indicativo contineantur, ab attractione abhorrere haud ignorant; cuius rei causam solam veram neque a quoquam adhuc in dubitationem vocatam sagaciter excogitavit Foerster et protulit in libro maiore p. 68 verbis his: *„indoles et natura illorum modorum fert, ut non tam praedicamentum, quod dicunt philosophi essentiale i. e. quod cum notione alicuius nominis artissime cohaeret exprimant, quam quod condicionis instar extrinsecus ad illud nomen accedit ponant.“*

Sed hic quoque usus ita fluctuat, ut quo longius a tempore quo orta est attractio absunt scriptores eo crebrius coniunctivarum quoque enuntiationum rell. attractionem admittant. Aristoteles vero cum in aliis rebus tum in hac fines longissime dilatavit. Qui in hoc genere plane nullam diversam rationem secutus esse videtur, ut, praeterquam quod infra accuratius haec res mihi erit comprobanda, ex

nunc quoque proferendis locis, si cum praecedentibus comparaveris, intelleges:

Ζῳ. ἱστ. 526b 16 καὶ γὰρ ὁ ἄῤῥην καὶ ἡ θήλεια ὁποτέραν ἂν τύχῃ τῶν χηλῶν ἔχουσι μείζω. 580a 1 τίκτουσι δ' οὐκ ἀθρόα, ἀλλὰ διαλείπουσιν ἡμέρας ὅσας ἂν τύχωσιν. 568b 29 Ὅταν δ' ὠδίνωσιν αἱ γυναῖκες, εἰς πολλὰ μὲν καὶ ἄλλα ἀποστηρίζονται αὐταῖς οἱ πόνοι, ταῖς δὲ πλείσταις εἰς ὁπότερον ἂν τύχῃ τῶν μηρῶν, hoc loco duplex ὁπότερον explicandi ratio extat; aut per attractionem ita: εἰς τῶν μηρῶν τοῦτον ὁπότερος ἂν τύχῃ, aut nulla attractio agnoscitur, εἰς praepositione ad ἀποστηρίζεσθαι verbum in enuntiato prim. quidem positum, in enuntiatione rel. supplendum relata.

Frgm. 504 (p. 318, 19) et Frgm. 611 (385, 1) ὁ θεὸς εἶπεν, ᾧ ἂν τύχῃ πρῶτον συγγενέσθαι.

Ita codices. Rosius attractionem tollit ἐντύχῃ scribens, qua in scriptura ᾧ dativus praepositioni originem debet. Sed immerito Rosius in hoc loco offendit, quem sanum esse exemplis praecedentibus quae satis multa sunt, confirmatur.

Enumeratis locis, in quibus τυγχάνειν verbo comprehensae enuntiationes rell. attractioni obnoxiae fuerunt, quae de hac attractione fortasse existet suspicio, mihi est removenda. Nam cum τυγχάνειν cum participio soleat coniungi, facile fieri potest, ut casum pronominis rel. non in attractione causam suam habere, sed a participio verbi in enuntiato prim. praedicati vices gerentis eum regi aliquis censeat. Ita cui primo obtutu videatur, relinquet hanc opinionem, si accuratius hos locos inspexerit; in longe plurimis participium aliquod ad τυγχάνειν verbum suppleri omnino non posse, paucis autem nisi sensu contortissimo intelleget. Ecquod, quaeso, participium, e quo pendeat pronomen rel., ad τυγχάνειν addere liceat, ut exemplo utar, in loco hoc: Ῥητ. 1356b 35 καὶ γὰρ ἐκείνη συλλογίζεται οὐκ ἐξ ὧν ἔτυχεν? nullum profecto, siquidem ὧν genetivus cum praepositione ἐξ ad συλλογίζεται quod enuntiati prim. verbum finitum est

referenda cohaeret. Itaque equidem in locis supra prolatis τυγχάνειν verbo eandem quae verbo auxiliari est significationem vindicare non dubito. Neque tamen ab alia parte id quod in Passowii Lex. s. v. τυγχ. contenditur, verum est, plane nunquam in locis, quales hi sunt, participium aliquod ad τυγχ. mente addendum pronomini rel. casum suum impertire. Cui sententiae repugnant duo loci Aristotelis hi:

Ζῳ. μορ. 684a 32 οἱ δ' ἀστακοὶ μόνοι, ὁποτέραν ἂν τύχωσιν, ἔχουσι μείζω τῶν χηλῶν, καὶ θήλειαι καὶ οἱ ἄρρενες.

Μεταφυσ. 1013a 6 τῶν ζῴων ἀρχὴν οἱ μὲν καρδίαν, οἱ δὲ ἐγκέφαλον, οἱ δ' ὅ τι ἂν τύχωσι τοιοῦτον ὑπολαμβάνουσιν.

Utroque loco in pronominis rel. accusativo non subiecti nominativum latere, e discrepantia, quae inter huius pronominis rel. et verbi praedicativi numerum intercedit luculenter apparet. Quamobrem non dubium est quin accusativus pronominis rel. a participio verbi illius, quod in enuntiato prim. praedicatum est, mente ad τυγχ. verbum supplendo pendeat et ad τύχωσι pluralem subiectum enuntiati prim. spectet. Enuntiatio igitur rel. prioris loci redit ad pleniorem formam hanc: ὁποτέραν ἂν οἱ ἄστακοι ἔχοντες τύχωσι, altera ad hanc: ὅτι ἂν οἱ μὲν ἢ οἱ δὲ ὑπολαμβάνοντες τύχωσι. Priori loco simillimus est unus ex iis, quos exemplis attractionem perpessis assignavi; est autem hic:

Ζῳ. ἱστ. 526b 16 καὶ γὰρ ὁ ἄρρην καὶ ἡ θήλεια ὁποτέραν ἂν τύχῃ τῶν χηλῶν ἔχουσι μείζω.

Quaerendum igitur est, cur hic attractionis speciem prae se ferat, ille non item. Ubi pronominis rel. accusativus non ad attractionem revocandus, neque quo paulo ante explanavi modo explicandus erat, enuntiatio prim. et rel. eodem subiecto usae sunt. Idem autem subiectum eundem praedicati numerum poscit. Cum vero in enuntiato prim. verbum praedicati numero plurali, in enunt. rel. singulari contineatur, hoc non eodem atque illud, sed proprio subiecto utitur, quod nusquam nisi in pronominis rel. accusativo per attractionem e nominativo orto quaerendum est.

Verum satis haec sunto de enuntiationibus rell. τυγχ. verbo comprehensis.

Quibus propter maiorem ambitum postponendas esse censui nonnullas, quae verbo auxiliari continentur:

Π. οὐρ. 283 b 15 ἕξει γὰρ δύναμιν οὗ ἐνεργείᾳ οὐκ ἔστιν.

Π. αἰσθησ. κ. αἰσθητ. 447 a 8 εὐλόγως δ' ὧν ἐστι μεταξὺ τοῦ αἰσθητηρίου, οὐχ ἅμα πάντα πάσχει.

Hoc et illo loco notio reg. nomen est; prior enuntiatio rel. genetivi obiectivi locum tenet, illa e δύναμις substantivo, haec e πάντα adiectivo pendens. Modus est indicativus; coniunctivo ἂν particula addita comprehenditur enuntiatio rel. in loco hoc:

Π. νεότ. κ. γηρ. 468 a 25 πολλὰ γὰρ τῶν ζῴων ἀφαιρουμένου ἑκατέρου τῶν μορίων, τῆς τε καλουμένης κεφαλῆς καὶ τοῦ δεκτικοῦ τῆς τροφῆς, ζῇ μεθ' οὗπερ ἂν ᾖ τὸ μέσον.

Enuntiatio rel. nomine quodam ad pronomen rel. referendo amplificata est. Quod ubi verbum finitum deerat, observatum est, nostro qui illo verbo non caret loco omissum est. Neque enim attractio ut in pronomen rel., ita etiam in nomen illud irrepsit. Quamquam enuntiatio rel. verbi praedicativi expers erat, illud nomen intactum remansisse supra p. 31 sq. vidimus. Cuius rei in illis locis causam quandam externam statuimus. Qualis causa nostro loco plane non valet. Quid igitur ab altero nominativo attractionis vim prohibuisse ducamus? A vero vix aberrabimus, enuntiationem quae ex duobus nominativis constat et quod maximum est, verbo finito utitur, validiorem esse statuentes, quam ut tota notionis reg. dominationi succumbat. Quae res aliter se habet, si accusativo pronominis rel. nomen aliquod praedicative aut attributive additum est. Accusativus vero, quippe qui non ipse regat, ut nominativus, sed regatur, non solum unus, sed etiam duplex ab attractione saepe vincitur, quin etiam nunquam omisso verbo finito. Exempla collegit Foerster in libro mai. pag. 84 sq., quam Cleefius accuratius inspicere debebat, antequam illum usum Platonis unius esse proprium iudicaret (cfr. l. l. p. 50). Platonica autem exempla in p. 27 et 36 sq. eius libri

inveniuntur. Ego Aristotelica in pp. 59 et 64 adscribam, in quibus omnibus et pronomen rel. et nomen attractione correpta sunt. Ubi haec attractio omittitur, et pronomen rel. et nomen intacta sunt. Exempla vero, quae ab illis ad haec transitum ita faciant, ut attractio in pronomen rel. tantum irrepserit, in nomen non item, tamquam si notionem reg. ad hoc efficiendum deficiat vis, in Aristotelis scriptis non extant. Quod minime mirum est. Nam ex iis quae supra de accusativi natura disserui intellegitur attractionem pronomine rel. potitam non magna eguisse vi ad nominis quoque accusativum sibi subiciendum. Ita sentiens discedo a Reiserto, qui in l. l. p. 34 adnot. 3 in exemplo Xenophonteo Cyrop. 3, 1, 34 ἀντὶ μὲν τῶν πεντήκοντα ταλάντων ὧν ἔφερες δασμόν, transitum illum agnoscit intellegendum ita, ut perfectae attractioni duplex accusativus obstiterit. Quamquam causam a Reiserto prolatam non accipio, tamen non cum Graebero (l. l. p. 11) eo progredior, ut integritate illius loci in dubitationem vocata attractionem aut plenam reddendam esse ita: ὧν ἔφερες δασμοῦ aut illam quae extet partiariam omnino esse removendam, quod ὃν pro ὧν substituendo facile effici possit, iudicem, siquidem alia causa, nempe numeri discrepantia, quae inter ambos accusativos intercedit, imprimis attractioni obstitisse mihi quidem videtur. Denique, ut iam huius rei finem faciamus, Bohlmannum l. l. p. 8 sententiam suam aperientem audiamus. Qui enuntiationes rel. illius generis omnino non, neque pronomen rel. neque nomen, attrahi ratus causam statuit hanc, quod attractio in pronominis accusativo adhibita etiam alterum illum accusativum arripere debebat, ad quod efficiendum notionem reg. potestas defecerit. At vero neque illud Bohlmannus recte opinabatur, siquidem ut pronomen rel. solum attrahatur illo nomine integro remanente per se fieri posse et Reiserti et meum illud exemplum nominativi attracti docent. Neque causam iustam addidit, ut ex iis quae de Reiserti sententia exposui, elucet; immo quotienscunque fit, ut neque in pronomen rel. neque in nomen attractio quidquam valeat, causam potius in

aliis rebus, quam in duplici accusativo quaerendam esse existimemus.

Sed redeamus ad nominativi attr. exempla reliqua. Quae proxime sequuntur enuntiationes rell. εἴρηται verbo continentur et eo insignes sunt, quod pronomina rell. cum pleraque composita sunt, tum omnia aut masc. aut fem. generis sunt:

Ποιητ. 1453 a 16 μὴ διὰ μοχθηρίαν ἀλλὰ δι' ἁμαρτίαν μεγάλην, ἢ οἵου (i. e. ἀνθρώπου) εἴρηται, ἢ βελτίονος μᾶλλον ἢ χείρονος.

Πολ. τ. 'Αθην. XI, 1 διατάξας δὲ τὴν πολιτείαν, ὅνπερ εἴρηται τρόπον.

Προβλ. 893 a 38 ἢ ὅτι αἱ τῶν προβάτων, οἵαν εἴρηται τροφὴν ἔχουσαι, μακρὰν τῆς ἀρχῆς ἀπαρτώμεναι ἀτροφώτεραί εἰσι.

Π. ἀτομ. γρ. 968 b 19 οὐκ ἔσται οὔτε ῥητὴ οὔτ' ἄλογος (ἡ γραμμή), οὔτε τῶν ἄλλων οὐδεμία ὧν νῦν δὴ εἴρηται, οἷον ....

quamquam codices omnes inter se consentiunt, dubius sum num verba νῦν δὴ εἴρηται sana sint. Apeltius aperte corrupta ea esse existimat, in archetypo, quod ad palaeographiam attinet, non sine acumine suspicans fuisse: ὧν δυνάμεις ῥηταί.

Quales loci nonnumquam speciem tantum attractionis prae se ferunt, re vera, quae enuntiationem prim. et rel. inter se per attractionem conectere videtur notio reg. in enuntiatione rel. ipsa supplenda pronomini rel. casum suum imprimit. Quo in genere quomodo de nostris locis sit iudicandum, iam videamus. Atque in primo loco, cum utrum οἵου εἴρηται de qua agitur enuntiatio in attr. enuntiationum modum e voce sententiae prim. aliqua pendeat, an pronomen rel. notioni, quae genetivum adsciscat, in enuntiatione rel. supplendae hunc casum debeat, parum perspicuum sit, totius ad quam enuntiatio rel. nostra pertinet periodi argumentum explicandum est. Scriptor de fabula, quae timorem et misericordiam moveat, verba faciens triplex quoddam praescribit; primum ut simplex sit, deinde

ut ex felicitate in infelicitatem convertat, denique ad virum spectet, qualis in antecedentibus descriptus sit, aut ad meliorem potius quam deteriorem. Quae tria periodi membra coordinata sibi sunt; unumquodque paris gravitatis est. Itaque cave ne cum ἁμαρτίαι id quod species externa poscere videtur, enuntiationem rel. nostram coniungas, quod si faceres, enuntiatio rel. subordinata et minus graviter, quam cetera duo illius periodi membra, appareret dicta. Quae cum ita sint, nonne si fieri potest, enuntiatio nostra eodem, quo utrumque illorum membrorum spectat, rectissime erit referenda? Ac revera fieri potest; nam bene se habere mihi quidem videtur relatio haec: [καὶ μῦθον εἶναι ἢ τοιούτου ἀνδρὸς] οἵου (ex οἷος) εἴρηται. latine hoc fere modo interpretanda: „narratio sit (necesse est) talis viri, qualis a nobis dictus est," vernacula lingua ita: „es muss eine Erzählung von einem solchen Menschen sein, wie wir ihn beschrieben haben". Ita si orationem procedere probas, attractio certa est. Nam cum de μῦθος qualis hominis esse debeat, in antecedentibus sermo non fuerit, de supplendi ratione hac: οἵου μῦθον εἶναι ἀναγκαῖον εἶναι εἴρηται, cogitare non licet. Qui tamen hanc explicationem fortasse propterea quod enuntiatio rel. ad μῦθον relata pariter atque membrum antecedens καὶ particula adiungi debuit, improbat, huic amplectenda reliqua est ratio illa, ut οἵου ad genetivum absolutum referatur hunc: ἢ ἀνδρὸς ὄντος τοιούτου οἵου εἴρηται: sed in hac quoque explicatione aliam genetivi οἵου causam nisi attractionem frustra quaeres. Quin etiam si cum ἁμαρτίαν de qua agitur enuntiationem coniungis, fieri non potest, ut οἵου eiusdem esse generis, cuius pronomen demonstr. supplendum est, ducas; nam supplendi ratio haec: ἢ δι' οἵου ἁμαρτίαν μεγάλην μῦθον μεταβάλλειν ἀναγκαῖον εἶναι εἴρηται, non solum nimis contorta, sed etiam omni sensu destituta est, siquidem de mytho in antecedentibus nihil expositum est. Sed illa, secundum quam inter ἁμαρτίαι et οἵου εἴρηται nulla relatio intercedit, sententia praeter causam supra probatam fulcrum accipere mihi videtur loco qui nostro praecedit et simili modo constitutus est, hoc: ἔστι

δὲ τοιοῦτος ὁ μήτε ἀρετῇ διαφέρων καὶ δικαιοσύνῃ μήτε διὰ κακίαν καὶ μοχθηρίαν μεταβάλλων εἰς τὴν δυστυχίαν ἀλλὰ δι' ἁμαρτίαν τινά, τῶν ἐν μεγάλῃ δόξῃ ὄντων καὶ εὐτυχίᾳ, οἷον Οἰδίπους καὶ Θυέστης καὶ.........

scriptor praescribit, qualis vir ad timorem misericordiamque movenda maxime idoneus poetae fabulas scribenti eligendus sit.

Apparet, τῶν.... ὄντων genetivum ad ἁμαρτίαν relatum ad totius loci structuram omnino non accommodatum esse. Eundem autem oratione eodem fere modo procedente locum genetivus quem quaerimus obtinet, quare de hoc idem quod de illo negandum esse mihi videtur. Iam venio ad reliqua, quae eodem modo tractanda supra proposui exempla, in quibus de qua agitur res multo dilucidior est.

In altero et tertio loco haec quidem structura: ὅνπερ [διατάξαι] εἴρηται τρόπον et οἵαν [ἔχειν] εἴρηται τροφὴν ἔχουσαι, nisi fortasse pluralis verbi εἴρηται una cum eodem, quod in sententia prim. est subiecto exspectanda est, cum iis quae a scriptore in antecedentibus exposita sunt, non pugnat. Quin etiam extat locus quidam, ubi quicunque est scriptor enuntiationem rel. ita supplet; qui locus quod non Aristotelis ipsius, quoniam in libro histor. animal. decimo ab Aristotele abiudicato invenitur, non ita multum tribuerim; est autem hic: Ζῳ. ἱστ. 636 b 7 ὅσαις δὲ τούτων μηδὲν ἐμπόδιον ᾖ ἀλλ' ἔχουσιν ὃν τρόπον δὴ εἴρηται ἔχειν.

Nihilominus vero nostros illos locos in attractionis exempla referre non dubito compluribus causis permotus. Atque primum quidem enuntiatio rel. ante nomen posita, ut unam adiectivi vel participii notionem efficiens apparet, quod cum per se patet tum inde sequitur, quod enuntiatio rel. praecedens vel inter nomen et adiectivum intermissa perpetuo, contra postposita nonnumquam tantum cum nomine per attractionem coalescit. Quae res iam a Foerstero observata (l. l. p. 99 not. 165) nullis exemplis sive aliorum scriptorum sive Aristotelicis non comprobatur. Deinde si quis τρόπος (τροφή) εἴρηται vel quod idem est τρόπον (τροφὴν) λέγειν similiaque a bene dicendi ratione

linguae gr. abhorrere suspicetur, falso se suspicari discet exemplis his: Π. οὐρ. 270 b 18 ἔοικε δὲ καὶ τοὔνομα παρὰ τῶν ἀρχαίων διαδεδόσθαι μέχρι καὶ τοῦ νῦν χρόνου τοῦτον τὸν τρόπον ὑπολαμβανόντων ὅνπερ καὶ ἡμεῖς λέγομεν. Nam quominus ὑπολαμβ. in enuntiatione rel. cogitatione repetamus, id ipsum officit, quod ut sentiens, non suspicans Aristoteles ipse aliis suspicantibus se opponit; ὅνπερ igitur e λέγειν verbo pendet. Eiusdem generis accusativus pronominis rel. mihi videtur esse in Ἠθ. Νικ. 1109 b 1 τοῦτο δ' ἔσται μάλιστα τοῦτον τὸν τρόπον, ὃν λέγομεν, et in Μεταφυσ. 1039 a 9 καὶ κατὰ τοῦτον τὸν τρόπον, ὃν λέγει Δημόκριτος ὀρθῶς. Priorem locum si ita exples: ὃν [τοῦτο ἔσεσθαι] λέγομεν, nonne contortissime et languidissime procedat oratio? In altero loco, ut intolerabilis illa orationis abundantia omittatur, ante ὃν κατὰ praepositionem esse eiectam censendum esset, quod explicationi faciliori si qua exstat, certe postponendum est. Quales dubitationes ut emergant non periculum est, ut mihi videtur, in Μεταφυσ. 989 a 19 περὶ μὲν οὖν τῶν μίαν τιθεμένων αἰτίαν οἵαν εἴπομεν, ἔστω ταῦτ' εἰρημένα. Π. μνησ. κ. ἀναμν. 451 b 25 ὡς δὲ τὰ πολλὰ ἑτέρων γενομένων κινήσεων οἵων εἴπομεν, ἐγένετο ἐκείνη. Ῥητ. 1385 b 19 τοιοῦτο κακόν, οἷον εἴρηται ἐν τῷ ὅρῳ.... Ut alia huiusmodi exempla praetermittam, nonne eadem dicendi ratio supposita est talibus, qualia haec: διὰ τὴν εἰρημένην αἰτίαν, τὸν εἰρημένον τρόπον similibusque, quae sescenties apud Aristotelem inveniuntur? Quoniam igitur ad quam nostrae illae enuntiationes rel. revocandae sunt, structuram οἷος (η, ον) εἴρηται a lingua graeca non alienam fuisse exposuimus, superest, ut quibus earum attractio comprobetur exempla quaeramus. Quae quamvis pauca sint, ad id quod volumus demonstrandum sufficiunt. Mihi autem Aristotelicum usum comprobaturo gratissimum est illud ante locos, de quibus nunc quaeritur tractatum exemplum, ubi, si recte iudicavi, enuntiationis nostris prorsus simillimae attractio certissima est. Neque vero in quarto eorum quos supra adscripsi locorum, nisi codicum memoriam hanc: ὧν νῦν δὴ εἴρηται aperte corruptam esse cum Apeltio censes,

praeter attractionem ulla explicatio extat. Nam struendi rationi huic: ὧν οὐδεμίαν αὐτὴν εἶναι εἴρηται (vel ὧν οὐδεμία εἶναι εἴρηται) obstat sensus, quoniam, ut equidem locum intellego, in antecedentibus de qua linea hic, nondum verba facta sunt. Quamobrem, ut enuntiatio rel. sensum quendam accipiat, ὧν genetivum ex ἃ nominativo ad ἄλλων referendo per attractionem originem suam derivare ducendum est. Verum tamen satis de enuntiationibus rell. εἴρηται verbo comprehensis.

Quibus succedat enuntiatio rel. cuius verbum praedicati cognata significatione est, haec: Μεταφυσ. 1050b 31 αἱ δ' ἄλλαι δυνάμεις, ἐξ ὧν διώρισται, πᾶσαι τῆς ἀντιφάσεώς εἰσιν.

Attractio est certissima et adhibita pro participio, quod ex. gr. legitur: 1073a 22 ἡμῖν δ' ἐκ τῶν ὑποκειμένων καὶ διωρισμένων λεκτέον, Φυσ. Ἀκρ. 251a 8 ἀρξώμεθα ἐκ διωρισμένων aliisque locis.

Admodum ambigua est res in duobus locis, at primum in: Π. γεν. κ. φθορ. 322b 5 ἀνάγκη δὴ πρότερον εἰπεῖν περὶ ὧν ἀδιορίστως λέγεται νῦν. Nam περὶ ὧν dupliciter solvere licet, aut in π. τούτ. ἃ, aut π. τούτ. π. ὧν. Illud si statuis, attractio est certa; hac origine probata attractio nulla est. Sensum totius loci consideranti mihi π. τούτ. ἃ praeferendum videtur esse; in antecedentibus enim scriptor res tractandas tantum enumeravit, nondum de iis disceptavit. Alter locus est in libello suppositicio hoc: Ῥητ. πρ. Ἀλέξ. 1441b 35: προσέχειν δὲ παρακαλέσομεν ἐκ τῶν αὐτῶν ὧν ἐν τῷ προτρεπτικῷ καὶ ἐν τῷ ἀπολογητικῷ. Attractio extat, si εἴρηται in enuntiatione rel. supples; non extat παρακαλεῖν verbo ex enuntiato prim. cogitatione repetito; hoc si mavis, ὧν a praepositione ἐκ supplenda regitur, quae praepositio cur omissa sit, exemplis aliis prolatis supra (p. 21 sq.) disserui. Utrum autem verbum cogitatione addendum sit, nisi e scriptis illis προτρεπτ. et ἀπολογ. idque eo loco quo de eadem, de qua nostro loco, re agitur, concludi non potest; quae scripta cum ad nos non pervenerint, res remanet incerta.

Enuntiationum rell. dicendi verbis comprehensarum generi adiungendum mihi videtur illud, quod verbis sentiendi continetur, cuius generis haec sunt exempla:

Π. ψυχ. 428a 20 οὐκ ἐνδέχεται γὰρ δοξάζοντα οἷς (= τούτοις, ἃ) δοκεῖ μὴ πιστεύειν,

δοξάζει exhibent tres minoris pretii codices L U W. Sed praeterquam quod δοκεῖ melioribus codicibus traditur, hanc lectionem etiam Themistius et Sophonias tuentur.

Ἠθ. μεγ. 1201b 9 οἷον Ἡράκλειτος ὁ Ἐφέσιος τοιαύτην ἔχει δόξαν ὑπὲρ ὧν αὐτῷ ἐδόκει.

In hoc loco attractionem in dubitationem vocari nullo modo posse primo obtutu apparet. Quare in priore quoque loco quippe in quo δοκεῖν verbum plane eiusdem absolutae atque in nostro loco significationis sit, non esse mihi videtur, cur nominativi attractionem negantes ad structurae explicationem confugiamus aut hanc: οὐκ ἐνδέχ. γ. δοξ. οἷς [πιστεύειν] δοκεῖ μὴ πιστ., aut ad hanc: οὐκ ἐνδέχ. γ. δοξ. οἷς (= τούτοις ἃ i. e. Accus.) [δοξάζειν] δοκεῖ μὴ πιστ.

Qualis supplendi ratio non a locis abhorret his:

Πολ. 1337a 36 μάθησιν ἰδίαν, ἣν ἂν δόξῃ, διδάσκων.

Πολ. τ. Ἀθην. XLIV, 4 ποιοῦσι δὲ καὶ ἀρχαιρεσίας στρατηγῶν καὶ ἱππάρχων............ ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, καθ' ὅτι ἂν τῷ δήμῳ δοκῇ.

In utroque loco δοκεῖν verbum non absolutam sentiendi vim quam in illis locis habet, sed infinitivo aliquo egere mihi videtur; qui in nostris enuntiationibus rell. ex enuntiati prim. verbo cogitatione repetendus est, in priore quidem loco ita: ἣν ἂν διδάσκειν δόξῃ, in altero ita: ἀρχαιρεσίας ποιεῖν τῷ δ. δοκῇ.

Unum restat inter nominativi attracti exempla; est autem hoc:

Ῥητ. 1361b 4 γέροντος δὲ πρὸς μὲν πόνους τοὺς ἀναγκαίους ἱκανόν, ἄλυπον δὲ διὰ τὸ μηδὲν ἔχειν ὧν τὸ γῆρας λωβᾶται.

Quod exemplum summi est momenti; duplex enim quoddam a nullo fere inter superiores scriptores tentatum Aristoteles in illo loco ausus est. Ut enim accusativi i. e. casus obiecti attractio initio quae levioris significationis

verbis, veluti dicendi et sentiendi comprehensae erant enuntiationibus rell. potita eas quoque quarum verbo definitior et angustior inest notio, aggressa est, ita nostrum inter nominativi attr. exempla unum e paucissimis alterius generis est. Deinde quod hoc verbum ad nominativum attr. pertinens transitivam habet vim, nescio an nullo altero loco totius linguae graecae hoc comprobetur. Praeter hanc legem attractio nominativi astricta fuit, ut Foerster l. l. p. 9 docuit, hac altera, ut pronomen rel. esset generis neutrius numeri pluralis; ne hanc quidem Aristotelem observasse exempla supra prolata demonstrant: Ποιητ. 1453a 16 οἵου εἴρηται, Πολ. τ. Ἀθην. XI, 1 ὅνπερ εἴρηται τρόπον. Προβλ. 893a 38 οἵαν εἴρηται τροφήν, et si τυγχάνειν pro pleno verbo habes, magnus enuntiationum rell. hoc verbo comprehensarum numerus. Aristoteli autem ita attractionis fines proferenti exempla haec ipsa, in quibus progressus cernitur, favisse mihi videntur. Nam illae, quas ne masc. quidem aut fem. genus pronominis rel. ab attractione defendit enuntiationes rel. tantopere unam tantum participii notionem efficiunt, ut participii instar non solum pari genere, sed etiam pari casu cum nomine ad quod pertinent conglutinandae essent. Iam quae fuerit causa enuntiationis rel. attractae illius, cui transitivum verbum praedicatum est? Nam si ulla, haec satis valida erat, ut resisteret. Quod enim Foerster et Reisertus, cur nominativus pron. rel. difficilius quam accusativus succubuerit attractioni, censent, imprimis in eum, qui praedicato utitur verbo transitivo, non passivo aut intransitivo, nominativum quadrat, siquidem illum potius, quam hunc esse casum qui regat, dicere licet. Quae cum ita sint, facere non poteris, quin nimiae notionis regentis potestati attractionem adhibitam attribuas. Et revera μηδὲν (οὐδὲν) pronomini tanta attrahendi vis est, ut nulla quamvis valida enuntiatione rel. resistente οὐδὲν (μηδὲν) ὧν plane in formularum vim degressum sit.

II. Dativus attractionem patitur.

Cuius casus cum compluria genera extent, loci attracti secundum ea erunt proferendi.

1) Dativus obiecti vices gerit:

Obiecti casus ad attractionem maxime esse idoneos satis saepe commemoratum est. Quare quod dativus obiecti attractus exemplis totius linguae gr. perpaucis comprobatur, certe in nulla alia re causam suam habet nisi in hac, quod perpauca sunt verba, quorum obiectum dativo exprimatur; ex Aristotelicis attractionis exemplis hoc unum huc pertinet:

Ἀναλ. ὕστ. 76a 37 Ἔστι δ' ὧν χρῶνται ἐν ταῖς ἀποδεικτικαῖς ἐπιστήμαις τὰ μὲν ἴδια ἑκάστης ἐπιστήμης, τὰ δὲ κοινά.

Nihil plane tribuendum est οἷς deteriorum codicum M F f scripturae et codici C ita corrigenti.

2) Dativus, qui temporalem habet significationem, attrahitur.

Huc spectant loci, quales hi:

Πολ. τ. Ἀθην. XVII, 1 ἀφ' οὗ μὲν κατέστη τὸ πρῶτον τύραννος ἔτη τριάκοντα καὶ τρία βιώσας, XXXIX, 4 ἀφ' ἧς ἂν ὀμόσωσιν τοὺς ὅρκους, δέκα ἡμερῶν.

Erunt fortasse, qui his locis nullam agnoscant attractionem. Quibus assentiendum erit, si praepositio ad enuntiatum rel. relata bonum praebet sensum. Quod equidem nego. Neque enim bene dici potest: καταστῆναι ἀπὸ χρόνου τινὸς i. e. auftreten seit irgend einer Zeit, neque ὀμνύναι ἀπὸ χρ. τιν.; immo post utrumque verbum, quippe quod actionem, non statum significet, non interrogari potest: quam diu? (quasi vero actio illa per tempus quoddam longius duraverit), sed nihil nisi: quando? Huic autem interrogationi supplendae plerumque nudus dativus, raro genetivus inservit. Quare dativi formam in ἀφ' οὗ (ἀφ' ἧς) latere equidem opinor. Nihilominus quispiam obiciet bene ἀπὸ praepositionem ad sententiam prim. trahi posse, locum ex. gr. priorem vertens ita: nachdem er gelebt hatte 33 Jahre, seitdem er z. erst. Mal als Tyrann auftrat. Concedo quidem hanc interpretationem nihil offensionis habere. Sed, si quid video, ita per eandem plane, quam in lingua gr. habemus, attractionem in vernacula lingua dicitur. Nam

quaeso, accurate sensum excutias et intelleges nostrum „seitdem“, ut recte procedat oratio, redire ad: „seit dem (Zeitpunkt), an dem vel wo er z. erst. Mal“ etc., qua in explicatione praepositio „seit“ revera ad enuntiatum prim. pertinet.

Eiusdem generis est μέχρι οὗ (μέχριπερ οὗ), cuius usus apud Aristotelem tantopere idem atque apud ceteros scriptores est, ut exemplis proferendis supersedere possim.

Haec hactenus de dativo in genetivi formam per attractionem transgresso. In accusativum autem abeuntis dativi quod extare videtur exemplum speciosius quam verius me quidem iudice attractionem exhibet. Locus hic est:

Πολ. 1289 a 2 χρὴ δὲ τοιαύτην εἰσηγεῖσθαι τάξιν ἣν ῥᾳδίως ἐκ τῶν ὑπαρχουσῶν καὶ πεισθήσονται καὶ δυνήσονται κοινωνεῖν. Codices inter se consentiunt, nisi quod Ib κοινωνεῖν correxit in κινεῖν, quae mutatio ad nostram rem plane nihil valet.

Si ἣν ex ᾗ dativo per attractionem originem duceret, πεισθήσεσθαι ad ᾗ referendum significationem „obsequendi“ haberet. Quae ipsa res suspicionem movet; nam si thesauro Steph. confidendum est, tota lingua gr. πεισθήσεσθαι verbo sensu activo usurpato caret, quod idem Krueger in gram. gr. § 40 sentit; neque vero est cur cum Kuehnero gr. gr. p. 887 duos locos excipiamus hos: Soph. Φιλοκτ. 624 et Plat. Σοφ. 248 E; in utroque loco passivam nostri verbi vim optime se habere ex locis ipsis ad interpretandum facillimis nemo non intelleget. Sed ut his locis alteram nostri verbi vim ad alteram facile revocari posse demonstratur, ita erunt fortasse, qui etiam aliis locis activam significationem agnoscant. Quamobrem ego quoque propter illam rem solam a nostro loco attractionem abiudicare dubitarem, nisi imprimis quaerendum esset id, num exemplis comprobaretur talis attractio, ut unus e tribus reliquis casibus (nom., gen., dat.) in accusativi formam abeat, et si extarent huiusmodi exempla, num horum enuntiationes rell. natura et indole sua nostrae essent similes. Sunt quidem complures

enuntiationes rell., quae talem attractionem perpessae sint, sed nostrae plane dissimiles, siquidem quam minimi ambitus sunt, deinde nisi a verbis finitis omni vi carentibus, qualia sunt εἶναι, τυγχ., λέγειν, non comprehenduntur. Quarum rerum neutram in nostram enuntiationem rel. quadrare primo obtutu apparebit, si cum hac nonnullas illarum quas nunc proferam contuleris. Nominativus accusativi formam induit ex. gr. locis his:

Ἀναλ. ὕστ. 79 b 41 ἀλλὰ καὶ τὴν ἑτέραν ἐνδέχεται ἀληθῆ λαμβάνειν, οὐ μέντοι ὁποτέραν ἔτυχεν, ἀλλὰ τὴν ΑΓ.

Πολ. τ. Ἀθην. XI, 1 διατάξας δὲ πολιτεῖαν, ὅνπερ εἴρηται τρόπον.

Reliqua quae plane eodem modo constituta sunt exempla in capite quod est de nominativo attracto facile invenies.

Genetivus aut dativus, ut paulo infra docebimus, latere videtur in pronominis rel. accusativo loco pseudaristotelico hoc:

Π. θαυμ. ἀκ. 832 b 10 λέγεται δὲ τοῦτο (ζῷον) μεταβάλλειν τὰς χρόας τῆς τριχὸς καθ᾽ ὃν ἂν καὶ τόπον ᾖ.

Quae cum ita sint, alias accusativi ἣν explicationes quaeramus et examinemus, priusquam ad attractionem confugiamus. Duae autem extare eaeque attractioni praeferendae mihi quidem videntur; inter quas ipsas utra verior sit, quippe quod difficile ad discernendum me quidem iudice sit, uniuscuiusque iudicio relinquo. Ut iam eas proferam, nisi anacoluthon quod vocant causam illius accusativi esse censes, ἣν pro accusativo rei, qualis cum πεισθῆναι passivam vim habente coniungi solet, habendum est. Sed nonne πείθειν duplicem accusativum, nisi ita, ut accusativus rei neutrum pronominis alicuius sit, veluti πείθειν τινὰ τοῦτο vel ἐκεῖνο etc., non regit? Ita quidem est. Neque tamen illa contraria structura omni caret fulcro; unus saltem locus mihi praesto est, in quo et G. Hermannus (ad Eurip. Or. 225) et editores Thucydidis plane eandem verbi πεισθῆναι constructionem certe suo iure agnoscant; invenitur autem hic locus in Thuc. II 21 διὸ δὴ καὶ ἡ φυγὴ αὐτῷ

ἐγένετο ἐκ Σπάρτης δόξαντι χρήμασι πεισθῆναι τὴν ἀναχώρησιν.

III. Genetivus pronominis rel. attractus

ut apud priores scriptores, ita etiam apud Aristotelem exemplis caret. At vero in duobus pseudaristotelicis scriptis duos inveni locos, in quibus praeter alias formam pronominis rel. explicandi rationes fortasse etiam de genetivo loci attracto cogitare licet. Nisi enim attractio, certe tamen contaminatio quaedam enuntiati prim. cum rel. statuenda est. Prior est:

Π. θαυμ. ἀκ. 832b 10 λέγεται δὲ τοῦτο (ζῷον) μεταβάλλειν τὰς χρόας τῶν τριχῶν καθ' ὃν ἂν καὶ τόπον ᾖ.

Nulla est attractio, si ita vertis: Man sagt, dass dieses Thier die Haarfarbe wechsle, an welchem Orte es auch ist.“ Sed in hunc modum locum accipere nos vetant verba quae sequuntur διὰ δὲ τοῦτο εἶναι δυσθήρατον (καὶ διὰ τὴν μεταβολήν). καὶ γὰρ δένδρεσι καὶ τόποις καὶ ὅλως ἐν οἷς ἂν ᾖ, τοιοῦτον τῇ χροίᾳ γίνεσθαι. E quibus verbis apparet non in quemlibet modum colorem mutari, sed animal eum ipsum accipere colorem, cuius sit locus ubi moretur. Unde duplex quoddam sequitur, primum κατὰ praepositionem non localem vim (i. e. latine „per“) habere, sed idem, quod latine „secundum“, significare; deinde praepositionem illam ad enuntiatum prim. spectare, cum μεταβάλλειν χρόας coniungendam. Si autem ita est, aut attractio, aut certe quidem contaminatio aliqua extat. Utra ratio verior sit, dirimere nolo. Si attractionem mavis statuere, genetivum loci aut dativum in forma pronominis rel. attracta latere tibi censendum est locum ita dissolventi: κατὰ τοῦτον τὸν τόπον οὗ (vel ᾧ) ἂν ᾖ, gemäss dem Orte, an welchem es grade ist). Quam rationem si improbas, ad contaminationem tibi confugiendum est, aut hanc fere: κατὰ (= secundum) τοῦτον τὸν τόπον, [καθ' (= per)] ὃν ἂν ᾖ, aut hanc: κατὰ τοῦτον τὸν τόπον, [ἐν] ᾧ ἂν ᾖ, quomodo scriptor ἐν praepositionem paulo post adhibet: τόποις — ἐν οἷς ἂν ᾖ. Sed satis de hoc loco. Cui simillimus est hic:

frgm. 609 (369, 5/6) τοὺς βίους ἐν ᾧ κατήχθησαν χωρίῳ ἱδρύσασθαι. ἐν ᾧ κατήχθησαν χωρίῳ redit aut ad ἐν τούτῳ τ. χωρ., οὗ (vel ᾧ) i. e. genet. (dativ.) loci aut ad: ἐν τούτ. τ. χωρ., (ἐν) ᾧ...... praepositione altera eiecta enuntiatio rel. ante χωρίῳ nomen posita est.

IV. Accusativi attracti exempla:

Huius casus exempla secundum notiones reg. enumerare visum est, ut harum quoque vis attrahendi, quomodo singulae inter se differant, cernatur.

1) Accusativo pronominis rel. continetur obiectum externum.

A) Accusativus abit in genetivum.

a) enuntiatio rel. pendet e nominibus, qualia sunt subst., adiect., compar., superl., adv., pronom., numer. etc.

α) per se sola i. e. gen. subst.:

Ἀναλ. ὕστ. 72a 33 οὐχ οἷόν τε δὲ πιστεύειν μᾶλλον ὧν οἶδεν, ἃ μὴ τυγχάνει κ.τ.λ.

Π. σοφ. ἐλέγχ. 176b 14 ἐπεὶ δ' ἔνια μὲν ὧν λέγουσιν οἱ πολλοὶ κ.τ.λ.

Φυσ. ἀκρ. 254a 31 καὶ ζητεῖν λόγον ὧν*) βέλτιον ἔχομεν ἢ λόγου δεῖσθαι.

Π. μνήμ. κ. ἀναμν. 451a 29 μνημονεύειν ἔνια ὧν ἐπιστάμεθα.

Ζῳ. ἱστ. 581b 14 ἂν μὴ διευλαβηθῶσι μηθὲν ἐπὶ πλεῖον κινῆσαι οὗ**) αὐτὰ τὰ σώματα μεταβάλλει μηθὲν χρωμένων ἀφροδισίοις. *635b 3 καθεκτικὰς ὧν λαμβάνουσι. *636b 4 οὐ γὰρ οἷόν τε οὔτε λαμβάνειν οὐθὲν ὧν δεῖ οὔτε προΐεσθαι. *637a 2 συμβαίνει δ'ἐνίοτε πλέον προΐεσθαι καὶ αὐτὴν καὶ τὸν ἄνδρα οὗ ἂν δύνηται ἀφανίσαι καὶ τοῦ ἱκανοῦ.

Ζῳ. γεν. 769b 17 ἔστι δ' οὐθὲν ὧν λέγουσιν.

Ἠθ. Νικ. 1136b 15 Ἔτι δ' ὧν προειλόμεθα δύ' ἔστιν εἰπεῖν. 1146a 28 τἀναντία γὰρ πράττει ὧν ὑπολαμβάνει διὰ τὴν

*) ὧν om. E.
**) ἕως οὗ Aa, ἢ ὅσον PDa.

ἀκρασίαν. 1159a 32 κἂν ἐκεῖνοι μηδὲν ὧν*) μητρὶ προσήκει ἀπονέμωσι. 1163a 2 δυναμένῳ δὴ ἀνταποδοτέον τὴν ἀξίαν ὧν ἔπαθεν, καὶ ἑκόντι. 1164a 28 μηθὲν ποιοῦντες ὧν ἔφασαν (scil. ποιήσειν).

Πολ. 1294b 2 τὸ μέσον λαμβάνειν ὧν ἑκάτεροι τάττουσιν. 1319a 27 οὐθὲν ἔργον μετ' ἀρετῆς ὧν μεταχειρίζεται τὸ πλῆθος.

Ῥητ. 1370a 30 κἂν τῷ μεμνημένῳ καὶ τῷ ἐλπίζοντι ἀκολουθοῖ ἂν φαντασία τις οὗ μέμνηται ἢ ἐλπίζει.

Genetivus οὗ non in ipso μεμνῆσθαι verbo, sed in attractione causam suam habere propterea mihi videtur, quod quantum indici Bonitzii et mihi ipsi huius verbi structuram persecuto confidendum est, ab Aristotele μεμνῆσθαι et μνημονεύειν, quod verbum idem valet, constanter cum accusativo neutrius generis struitur; exempla nonnulla sunt haec: 1370a 33 μεμνῆσθαι γεγενημένα, 111b 31 μνημονεύειν τὸ παρεληλυθός, sed ut reliqua huiusmodi praetermittam, nonne, quod etiam cum accusativo generis feminini nostrum verbum Μεταφυσ. 1073a 15 μεμνῆσθαι καὶ τὰς τῶν ἄλλων ἀποφάσεις coniunctum inveni, huic aliquid tribuendum est? Accedit, quod alterum verbum, quod ad pronomen rel. in enuntiatione rel. nostra relatum extat, ἐλπίζειν accusativum efflagitat.

Sed redeo ad exempla secundum ordinem propositum enumeranda:

1380a 11 καὶ τοῖς τἀναντία ὧν ἐποίησαν βουλομένοις, 1400a 36 εἰ ἐνεδέχετο βέλτιον ἄλλως ἢ ἐνδέχεται ὧν ἢ συμβουλεύει ἢ πράττει ἢ πέπραχε σκοπεῖν.

Ποιητ. 1452b 38 οὐδὲν γὰρ ἔχει ὧν δεῖ (scil. ἔχειν).

Φυσιογν. 808b 13 Πολλὰ δὲ καὶ ὧν διαπράττεται τὰ ζῷα

Π. φυτ. 828a 38 ἐὰν δὲ συμβῇ τὸ ἐναντίον ὧν εἴπομεν,

Προβλ. 951a 33 et 35 ἐν γὰρ τοῖς φόβοις ὄντες πολλὰ παραλιμπάνουσιν ὧν αὐτοὺς ἔδει εἰπεῖν ἢ πρᾶξαι,

Ἠθ. μεγ. 1192a 2 ὅτε γὰρ ἄσωτός ἐστιν ὁ ἀναλίσκων.... . πλείω ὧν δεῖ, 1194b 2 καὶ τὸ ἀντιπαθεῖν, πλείω ὧν ἐποίησε

*) μὴ δύνωνται τῇ μητρὶ ἃ προσήκει ἀπονέμειν Lb Mb.

δίκαιόν ἐστιν. 1203a 33 ὁρμὴ ἐγένετο πρὸς τὸ πρᾶξαί τι ὧν ἴσως οὐ δεῖ (adde πρᾶξαι).

Οἰκον. 1350a 1 κήρυγμα ἐποιήσατο τὰ ἡμίσεα ὧν ἔχει ἕκαστος ἀναφέρειν πρὸς αὐτόν. 1352b 14 ὁ δ' ...... ἀνήνεγκε τὰς τιμὰς ὧνπερ*) ἦν ἠγορακώς.

Ῥητ. πρ. Ἀλ. 1433b 37 οὐδὲν δὲ πώποτε ὧν ὡμολογήκασι ποιήσαντες.

Frgm. p. 258 lin. 15 edit. Ros. (Teubn. 1886) καὶ ...... ἐκ τῶν Ἀριστοτέλους πολιτειῶν, Θετταλῶν τέ φημι καὶ Ἀχαιῶν ...... καὶ ὧν ἐκεῖνος ἁπλῶς ἐν τοῖς πολιτικοῖς αὐτοῦ διαλαμβάνει.

β) enuntiatio rel. ad nomen aliquod i. e. genus quod vocant adiectivum:

Aeque atque adiectivum huius generis enuntiationes rel. aut sequuntur nomen aut praecedunt ei; illius generis priore, huius altero ponam loco:

Ἀναλ. ὕστ. 71b 2 ἔλαβον δ' οὐχὶ (scil. τὴν ἀπόδειξιν) παντὸς οὗ ἂν εἰδῶσιν ὅτι τρίγωνον ἢ ὅτι ἀριθμός, qui locus non nullius est momenti; qui enim debebat esse accusativus ὃ est accusativus, quem vocant, anticipatus. Res ipsa satis nota est, mihi tamen adnotanda, siquidem, ut iam a Schulzio l. l. p. 12 statutum est, huiusmodi pronomen rel. attractioni saepius resistit, quam succumbit. Cuius rei causam supra (p. 27), ubi de exemplo hanc attractionem non exhibente dicendum fuit, explanavimus.

Iam pergo cetera adiectivi generis exempla enumerare:

Π. μνήμ. κ. ἀναμν. 451b 25 ὡς δὲ τὰ πολλὰ ἑτέρων γενομένων κινήσεων, οἵων εἴπομεν, ἐγένετο ἐκείνη. Velim animadvertas hoc loco attractionem pronomine οἷος esse potitam idque in enuntiatione rel. verbo pleno comprehensa; nam οἷος si attrahitur enuntiatione rel. verbo substantivo, praesertim quod saepissime omittatur, comprehensa, id nihil habet mirabile et creberrime deprehenditur; contra loci qualis hic Aristotelicus, pauci tantum extant; congessit eos Foerster

*) ὥσπερ Q.

l. l. p. 96; quibus addendus est unus locus Platonicus, ubi tamen codicum memoria ita fluctuat ut alii formam attractam, alii non attractam exhibeant, de qua re cfr. Cleefium l. l. p. 34 et 36 adnot.

Proximus adiectivi generis locus est in

Ζῴ. ἱστ. 604 a 3 χαλαζᾷ δὲ μόνον*) τῶν ζῴων ὧν ἴσμεν ὗς.

Ῥητ. 1417 b 13 διότι σύμβολα γίνεται ταῦτα ἃ ἴσασιν ἐκείνων ὧν οὐκ ἴσασιν.

Ζῴ. μορ. 639 b 18 ἀποδιδόασι τὰς αἰτίας οὗ ποιοῦσιν ἑκάστου.

Ζῴ. γεν. 785 a 12 μάλιστα ὧν ἴσμεν ζῴων.

Προβλ. 918 a 4 Διὰ τί ἥδιον ἀκούουσιν ᾀδόντων ὅσα ἂν προεπιστάμενοι τυγχάνωσι τῶν μελῶν, ἢ ὧν μὴ ἐπίστανται. Ad quam hic locus redit forma haec est: .... ᾀδόντων τὰ μέλη, ὅσα ἂν προεπ. τυγχ. ἢ ἃ μὴ ἐπιστ.

Diversa illa duo attractionis genera et nominis et pronominis rel. hoc loco consociata vides; prior enim enuntiatio rel. vi enuntiato prim. superior μέλη nomen ad quod pertinet, structurae suae subiecit. Differentia tamen inter locos qualis noster est, et illos qui adhuc attractioni nominis attribuebantur, statuenda est haec, ut quae attractionem nominis efficit notio reg. illis alia sit atque his; longe enim plurimis locis enuntiationis rel. verbum finitum nomini, ad quod pronomen rel. refertur, casum suum impertit, veluti hoc loco: Πολ. 1271 a 9 ἔτι δὲ καὶ τὴν αἵρεσιν ἣν ποιοῦνται τῶν γερόντων, κατά τε τὴν κρίσιν ἐστὶ παιδαριώδης. At nostro similibusque locis pronomen rel. ipsum est notio reg., cuius dominationi nomen illum obnoxium fit; cum pronomine rel. ὅσος ratio genetivi tam arte cohaeret, ut μέλη i. e. nomen, ad quod ὅσος refertur, ex hoc pronomine rel. partitivo sensu suspensum in τῶν μελῶν genetivum abeat. Qui usus Aristoteli est gratissimus. E permagno huiusmodi exemplorum numero pauca liceat mihi afferre: Μετεωρ. 354 b 33 διὸ καὶ γελοῖοι πάντες ὅσοι τῶν

*) τῶν ζῴων μόνον Da.

πρότερον ὑπέλαβον ortum ex: διὸ κ. γελ. πάντες οἱ πρότερον, ὅσοι ...., Ζῴ. ἱστ. 637 a 5 δηλοῖ ὅσα τῶν ζῴων ἀπὸ μιᾶς ὀχ. κ.τ.λ. dictum pro δηλοῖ ταῦτα τὰ ζῷα, ὅσα ἀπὸ μιᾶς ὀχ. κ.τ.λ. Hactenus de nominis attractione; iam revertor ad pronominis rel. attractionem, quae extat in altera enuntiatione rel. illius, a quo profecti sumus loci. Postquam nomen μέλη, ad quod utraque enuntiatio rel. spectat, ex ὅσος pendens in genetivum abiit, pronomen rel. quae sequitur enuntiationis rel. ad attractionem maxime idoneae genetivi formam indueret necesse erat. Priusquam ad alios locos progrediar, eundem de quo modo disputavimus locum in eodem libro 921 a 32 occurrere ita tamen mutatum, ut pro ὧν legatur ἐάν, adnotare non abs re erit.

Ἠθ. μεγ. 1188 a 26 ἔτι λοιπή ἐστι τῶν ὀρέξεων ὧν διειλόμεθα ἡ βούλησις.

Οἰκον. 1351 a 4 τῆς δαπάνης ἧς πρότερον ἐποιοῦντο τὸ δέκατον μέρος ποιεῖσθαι,

frgm. 41 (47, 10) φησὶ ..... λήθην ἴσχειν τινάς.. τῶν γραμμάτων ὧν ἐμεμαθήκεισαν,

frgm. 380 (257, 23) διὰ τὸ ἐπὶ πλεῖον προιέναι τὴν ὄψιν οὗ ὁρᾷ μεγέθους, quod per brachylogiam quandam dictum est pro διὰ τὸ ἐπὶ πλ. πρ. τὴν ὄφ. ἢ τὸ μέγεθος ὃ ὁρᾷ, ἄπεστιν.

Restat locus quidam non Aristotelicus, sed ab Aristotele paradigmatis loco e Socratis Theodecte prolatus in

Ῥητ. 1399 a 9 τίνας θεῶν οὐ τετίμηκεν ὧν ἡ πόλις νομίζει;

Pertineret ad hanc classem etiam locus hic:

Ῥητ. 1409 b 20 ἀνάγκη γάρ, ὅταν ἔτι ὁρμῶν ἐπὶ τὸ πόῤῥω καὶ τὸ μέτρον, οὗ ἔχει ἐν ἑαυτῷ ὅρου, ἀντισπασθῇ παυσαμένου, si verum esset id quod Bekker sentit, optimum codicem Ac ita exhibere. Nam οὗ — ὅρου pendens e μέτρον per attractionem ortum esset ex ὃν — ὅρου. Sed optimus codex Ac praebet, ut Roemer in adnot. crit. et Mus. rhen. XXXIX p. 508 affirmat οὗ — ὅρον; ὅρου legitur in cod. B; sensui vero neutra lectio adversatur. Bekker ὅρον recepit, quamquam haec lectio ex eius sententia deterioris codicis erat. Spengelius autem falsa Bekkeri nota perductus scripsit ὅρου optimum codicem sequendum esse ratus.

b) enuntiatio rel. e verbis vel ex eiusmodi formulis, quae proxime ad verba simplicia accedunt, pendet:

α. per se sola i. e. genus subst.:

Τοπ. 151 b 21 ἀνάγκη γάρ, ὥσπερ πρὸς παράδειγμα θεώμενον τό τ' ἐλλεῖπον ὧν προσῆκεν ἔχειν τὸν ὁρισμὸν καὶ τὸ προσκείμενον περιέργως καθορᾶν.

Ἠθ. Νικ. 1124 b 13 δοκοῦσι δὲ καὶ μνημονεύειν, οὓς ἂν ποιήσωσιν εὖ, ὧν δ' ἂν πάθωσιν, οὔ.

E μνημονεύειν verbo duo pendent enuntiata rell., alterum est attractum, alterum non. Vitasse scriptorem enuntiati alterius attractionem, ut genus masc. a neutro satis distinctum esset, equidem supra (p. 8) censui. Hanc ipsam generum discrepantiam editores huius loci non Aristoteli ipsi sed librariis tribuentes diversis remediis utuntur. Susemihlius Muenschero auctore ante ὧν praepositionem ὑφ' inserit. Cuius scripturae ratio palaeographica certe admodum laudanda est, siquidem, ut haec praepositio omitteretur propter magnam similitudinem, quae illius litteris cum iis est, inter quas praepositio a Muenschero insertur, ut elucet ex ΕΥΥΦΩΝ, facile fieri potuit. Noli tamen pro certa habere illam coniecturam, cui ne unus quidem e diversarum classium codicibus subvenit. Deinde discrepantia illa generum non tam inaudita mihi videtur, ut ab Aristotelis scribendi usu plane abhorreat. Certe vero aequabilitas et concinnitas orationis praeferenda est contrariae dictioni neque tamen ingerenda in scriptorem, quem eius non studiosum fuisse satis constat. Bywateri autem emendatio οὗ pro οὓς scribentis displicet, siquidem pro generis discrepantia numeri discrepantiam ingerit.

164 a 32 διὰ τὸ μηθένα ἂν δοῦναι ἀργύριον ὧν ἐπίστανται.

Ποιητ. 1456 a 10 στοχάζονται ὧν βούλονται θαυμαστῶς.

Quominus de supplendo στοχάζεσθαι infinitivo ad βούλονται cogitetur, totius enuntiati sensus obstat.

Frgm. 135 (118, 3) τούτοις γὰρ πείθονται μᾶλλον, οὓς ἂν ὁρῶσιν ἑτοίμους ὄντας συμμετέχειν ὧν συμβουλεύειν ἐγνώκασι.

Quod exemplum cum Aristotelis ipsius verba continere videatur, genuinis exemplis assignavi.

Ῥητ. πρ. Ἀλ. 1430 b 24 et 25 ἐκεῖνοί τε γὰρ ὧν μὲν αὐτοὶ ἀδικοῦσιν οὐκ ἀξιοῦσι διδόναι δίκας, ὧν δὲ τοῖς ἄλλοις ἐγκαλοῦσιν, ἀνυπερβλήτως τιμωροῦνται.

E quibus duabus hic locus constat enuntiationes non eiusdem generis sunt; prior enim accusativum qui vocatur immanentem, altera externi ut dicere consuevimus obiecti accusativum exhibet attractum. Illa igitur non sui ipsius, sed alterius causa prolata est, ne haec e sententiae nexu erepta parum intellegeretur.

β. enuntiatio rel. ad nomen refertur: i. e. genus adiect.:

Μεταφυσ. 985 a 11 οὗτοι μὲν οὖν, ὥσπερ λέγομεν, καὶ μέχρι τούτου δυοῖν αἰτίαιν ἐφήψαντο*) ὧν ἡμεῖς διωρίσαμεν ἐν τοῖς περὶ φύσεως, τῆς τε ὕλης καὶ τοῦ ὅθεν ἡ κίνησις.

Ῥητ. 1388 b 1 τοὺς ἀξιοῦντας αὑτοὺς ἀγαθῶν ὧν μὴ ἔχουσιν. 1374 b 17 καὶ τὸ μνημονεύειν μᾶλλον ὧν ἔπαθεν ἀγαθῶν ἢ κακῶν, καὶ ἀγαθῶν ὧν ἔπαθε μᾶλλον ἢ ἐποίησεν.

Qui locus eo est insignis, quod idem enuntiatum rel. attr. primum ante nomen, ad quod pertinet, deinde post hoc collocatum est.

Προβλ. 859 b 4 διὰ τὸ μηδὲν ἀπολαύειν ἧς λαμβάνουσι τροφῆς.

Haec sunt exempla attractionis verbis enuntiationem rel. regentibus effectae satis pauca. Longe creberrime praepositiones casum suum pronomini rel. obtrudunt idque tanta cum constantia, ut quae adhibendae attractioni obstant impedimenta, qualia sunt magnus enuntiationum rell. ambitus, pronomina rell. non obiecti casibus comprehensa aliaque, facilius, quam ceterae notiones reg. vincant. Ita enuntiationum rell. validiorum attractio non iam insolita ab invalidis quoque notionibus reg. facilius

---

*) ἐφήψαντο om. Ab, qui ἡμέννοι φαίνονται post φύσεως exhibet.

effici potuit. Nunc vero proferendi loci quod de praepositionum attrahendi vi disserui, hoc ipso comprobant, quod eorum numerus omnes illos quibus notio reg. alia atque praepositio est locos multo antecedit. Sunt autem hi:

c) enuntiatio rel. pendet e praepositione:

α. per se sola i. e. gen. subst.:

Ne ordo in enumerandis huiusmodi locis absit, quippe quorum numerus permagnus sit, praepositionis eiusdem exempla se excipient. Quae autem ita oriuntur diversarum praepositionum classes ordinem habebunt hunc, ut ampliores praecedant, concisiores subsequantur. Longe vero frequentissime ἐκ praepositio attractionem exercet. Quae quibus locis invenitur, hi ob eam causam agmen ducunto:

Τοπ. 157 a 15 παραδείγματα δὲ οἰκεῖα καὶ ἐξ ὧν ἴσμεν (scil. οἰστέον).

Π. σοφ. ἐλέγχ. 172 a 25 δίδωσιν οὐκ ἐξ ὧν οἶδεν οὐδ' ἐκ τῶν ἰδίων.

Φυσ. Ἀκρ. 202 b 16 δῆλον καὶ ἐξ ὧν οἱ ἄλλοι περὶ αὐτῆς λέγουσι.

Π. οὐρ. 294 b 25 ἐξ ὧν λέγουσιν.

Π. γεν. κ. φθορ. 314 b 16 ἐξ ὧν λέγουσιν οἱ πλείους. 315 a 15 ἐξ ὧν εἴρηκε.

Π. ψυχ. 405 a 19 ἔοικε δὲ καὶ Θαλῆς, ἐξ ὧν ἀπομνημονεύουσι κινητικόν τι τὴν ψυχὴν ὑπολαβεῖν,

Π. νεότ. κ. γήρ. 468 b 29 δῆλον ἐξ ὧν ἐν τοῖς ἐνδ. ἔ. γιγν. ἰδεῖν τεθεωρήκαμεν.

Ζῳ. γεν. 788 b 21 ἐξ ὧν ὁρῶμεν ὑποτιθέμενοι.

Μεταφυσ. 990 a 14 ἐξ ὧν γὰρ ὑποτίθενται καὶ λέγουσιν, οὐθὲν μᾶλλον περὶ τῶν μαθηματικῶν λέγουσι σωμάτων ἢ περὶ τῶν αἰσθητῶν, quo loco ἐξ ὧν una ex formulis iis est, quarum, ut Foerster l. l. p. 42 et 69 docuit, proprium est id, ut qui debebat esse accusativus ἃ non a verbo finito regatur, sed argumento totius enuntiati praecidendo et comprehendendo inserviat, unde venit, ut hae formulae plane coniunctionum loco usurpentur. — 1066 a 8 δῆλον ἐξ ὧν οἱ ἄλλοι λέγουσι περὶ αὐτῆς, 1066 a 10 δῆλον ἐξ ὧν λέγουσιν οἱ μὲν ἑτερότητα καὶ ἀνισότητα καὶ τὸ μὴ ὄν, ὧν οὐθὲν ἀνάγκη κινεῖσθαι, hoc quoque loco ἐξ ὧν prope ad ὅτι coniunctionis vim accedere mihi videtur; interpretandum enim, ut iustus existat sensus, ita fere est: „manifestum est ex eo, ut alii dicant etc.“ — 1091 a 16 εἴτ' ἐξ ὧν ἀποροῦσιν εἰπεῖν.

Πολ. 1318 a 28 ἐξ ὧν ὁρίζονται δικαίων ἀμφότεροι.

Usitatissima Aristoteli est structura ὁρίζεσθαι verbi cum accusativis duobus, quorum alter praedicati, alter obiecti vocatur, cuius structurae nonnulla e multis exempla protulisse satis erit: Ἠθ. Νικ. 1104 b 74 ὁρίζονται τὰς ἀρετὰς ἀπαθείας τινὰς καὶ ἠρεμίας: velim conferas etiam locos hos: 1108 b 34, 1115 a 9 Κατηγ. 6 a 17, Φυσ. 207 a 9. Praedicato autem idem sit casus, qui subiecto aut obiecto est, necesse est e lege illa primaria ne pueris quidem ignota. Quamobrem δίκαια una cum ἃ pronomine attracto genetivum induit.

Ῥητ. 1395 b 30 ἐξ ὧν ἴσασι, 1408 a 2 καὶ τὸ Ἀντιμάχου χρήσιμον, ἐξ ὧν μὴ ἔχει λέγειν, ὃ ἐκεῖνος ποιεῖ ἐπὶ τοῦ Τευμησσοῦ. Cave ne accusativum qui hoc loco attractus est ab infinitivo pendere iudices neve ἔχει et λέγειν in unam notionem conectas; nam λέγειν ad enuntiatum prim. pertinens praepositione ἐξ intermissa enuntiationem rel. quasi regit.

Π. ἀτόμ. γρ. 968 b 4 ἔτι καὶ ἐξ ὧν αὐτοὶ οἱ ἐν τοῖς μαθήμασι λέγουσιν, εἴη ἄν τις ἄτομος γραμμή,

Π. Ξεν. 975 a 19 τὸ δὲ πότερον συμπεραίνεται αὐτὸ ἐξ ὧν λαμβάνει,

Π. Γοργ. 979 a 37 οὐδαμόθεν δὲ συμβαίνει ἐξ ὧν εἴρηκεν, μηδὲν εἶναι.

Ἠθ. μεγ. 1205 a 35 ὥσπερ γὰρ οὐδ' ἀνδριαντοποιὸν θεωρεῖν δεῖ, ποῖός τις ἐστὶν ἐξ ὧν ἀπέτυχε καὶ κακῶς εἰργάσατο, ἀλλ' ἐξ ὧν εὖ, οὕτως κ.τ.λ. In ὧν genetivo priore accusativus et immanentis obiecti et externi latet, siquidem et ἀπέτυχε verbum et εἰργάσ. per zeugma quod vocatur ad pronomen referenda sunt; in altero ὧν genetivo nullo nisi εἰργάσ.

verbo supplendo externi obiecti accusativus solus delituit. — 1213 a 17 δῆλον ἐξ ὧν ἄλλοις ἐπιτιμῶμεν.

Ῥητ. πρ. Ἀλ. 1446 a 27 ἐξ ὧν πράττομεν.

E reliquis praepositionibus περὶ saepissime enuntiationes rell. attr. regit.

Π. σοφ. ἐλ. 165 a 26 ἀψευδεῖν μὲν αὐτὸν περὶ ὧν οἶδε,

Φυσ. ἀκρ. 218 a 32 τί δ᾽ἐστὶν ὁ χρόνος καὶ τίς αὐτοῦ ἡ φύσις, ὁμοίως ἔκ τε τῶν παραδεδομένων ἄδηλόν ἐστι, καὶ περὶ ὧν τυγχάνομεν διεληλυθότες πρότερον. Quo numerus augetur congestorum a Foerstero exemplorum in diss. p. 38 et in mai. l. p. 89 adn. 143 illorum, ubi a verbo fin. una cum participio aliquo unam quasi notionem efficientibus accusativus antequam attractionem pateretur, qui erat, regitur. Cuiusmodi locorum verba finita proxime ad auxiliaris verbi vim accedunt. Sunt autem notissima illa veluti τυγχάνειν, διατελεῖν, φθάνειν, quae omnia cum pleni alicuius verbi participio coniuncta adverbiales quasdam elocutiones circumscribunt ita ut participium proprium praedicatum efficiat, verba auxiliaria nihil nisi rationem adverbialem indicent.

Ζῳ. μορ. 644 b 26 καὶ γὰρ ἐξ ὧν ἄν τις σκέψαιτο περὶ αὐτῶν καὶ περὶ ὧν εἰδέναι ποθοῦμεν, παντελῶς ἐστιν ὀλίγα τὰ φανερὰ κατὰ τὴν αἴσθησιν. Ne de huius loci attractione dubites, enuntiatio rel. περὶ ὧν κ.τ.λ. aeque ac περὶ αὐτῶν ad σκέψαιτο trahenda est, quare nostra enuntiatio rel. illi quae praecedit, non, ut fortasse quispiam primo obtutu censet, coordinata, sed subordinata est. Ita ego quidem iudico, quia oratio ut bene procedat, ita efflagitare mihi videtur. Quamobrem nunc, quo enuntiatio rel. coordinata referenda sit, breviter explicemus. Si coordinationem statuis, utraque enuntiatio rel. ad φανερὰ spectat, qua in relatione περὶ praepositio utrum ad enuntiatum prim. an rel. pertineat, nescitur; illud si est, aut attractio extat haec: περὶ ὧν = π. τούτων, ἃ aut haec origo: π. ὧν = π. τούτ. π. ὧν. Si altera ratio magis placet, oratio ita procedat necesse est: καὶ ταῦτα

vel τούτων (ex ὀλίγα pendens) περὶ ὧν εἰδέναι ποθοῦμεν, παντελῶς ἐστ. ὀλίγ. τ. φαν. κατὰ τ. αἰσθ. Sed neutra interpretatio simplicitatis speciem magis prae se fert, quam quae supra mihi probata est. Ita autem sentienti virgula in edit. Bekk. inter π. αὐτ. et καὶ π. ὧν posita removenda est.

Similis difficultas π. ὧν solvendi inest in loco

Μεταφυσ. 992 b 27 ὥσπερ γὰρ τῷ γεωμετρεῖν μανθάνοντι ἄλλα μὲν ἐνδέχεται προειδέναι, ὧν δ᾽ἡ ἐπιστήμη καὶ περὶ ὧν μέλλει μανθάνειν οὐθὲν προγιγνώσκει, οὕτω δὴ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων. Ne longus sim, περὶ aut enuntiati rel. aut prim. membrum est. Si hoc statuis, attractio extat, si illud, non item. Me quidem iudice περὶ praepositio e primarii enuntiati verbo finito προγιγνώσκει pendet, quare π. ὧν solvendum est in π. τούτων ἃ. Nam si coniungis: π. ὧν μανθάνειν, obiecto quodam μανθάνειν verbum caret, nisi forte τὶ mente addis, quo refugio non eget qui in ὧν genetivo ἃ accusativum latere ducit. Praeterea autem admodum dubito, num μανθάνειν περί τινος et εἰδέναι περί τινος inveniatur; immo sequuntur statim duo exempla ita fere ut de quibus nunc sermo fuit conformata. Quod dictum volo imprimis de 1391 b 9 et 1415 b 34, quippe in quibus locis περὶ praepositio enuntiationem rel. regens praecedat et verbum finitum cum οὐδὲν negatione coniunctum succedat. At ante haec exempla, ne ordinem propositum disturbem, duo alia proferenda sunt:

Ἠθ. Νικ. 1142 b 1 οὐ γὰρ ζητοῦσι περὶ ὧν ἴσασιν.

Ῥητ. 1357 a 25 περὶ ὧν μὲν γὰρ πράττουσι, βουλεύονται καὶ σκοποῦσι, 1391 b 9 περὶ ὧν γὰρ ἴσμεν καὶ κεκρίκαμεν, οὐδὲν ἔτι δεῖ λόγου, 1415 b 34 περὶ οὗ ἴσασι, καὶ οὐδὲν δεῖται τὸ πρᾶγμα προοιμίου. Quae cum ita sint, attractionem non agnosco in loco:

Ἠθ. Νικ. 1137 a 11 ὅτι περὶ ὧν οἱ νόμοι λέγουσιν οὐ χαλεπὸν ξυνιέναι: nam ξυνιέναι eiusdem atque εἰδέναι significationis vix περὶ praepositionem adsciscit; at λέγειν περί τινος satis usitatum est. Item περὶ ad enuntiationem rel. traho in:
Ῥητ. πρ. Ἀλ. 1431 b 11 δεῖ δ᾽ ἔμπειρον ἀποφαίνειν ἑαυτόν,

περὶ ὧν ἂν λέγῃ et 1431b 14 μηδεμίαν ἐμπειρίαν ἔχοντα τὸν ἐναντίον, περὶ ὧν ἀποφαίνεται, quia ἔμπειρος π. τινος nisi omnino, certe multo magis quam λέγειν π. τινος a dicendi usu abhorret. Eadem ratione ac via res eadem dirimitur in:

Πολ. 1287b 22 περὶ ὧν γὰρ βουλεύονται νενομοθετῆσθαι τῶν ἀδυνάτων ἐστίν. Per se quidem utrum π. ὧν ad π. τούτων, ἃ redeat, an cum βουλ. sit coniungendum, non cognoscitur. Subvenit usus dicendi Aristotelicus; saepissime enim βουλεύεσθαι π. τινος legitur (cfr. 1112a 18—21, 1141b 9, 1140a 26, 1359a 37, b 19, 1366b 21, 1360b 1, 1383a 8, 1391b 20, 1417b 15) contra βουλεύεσθαί τινα bis tantum vel ter (cfr. 1135b 10, 1150b 20, 1152a 18/19) deinde νομοθετεῖν, ubi occurrit nisi cum accusativo non struitur; occurrit autem ter (bis in Ἠθ. Νικ., semel in Ἠθ. μεγ.). Praeter obiectum sane quidem περὶ c. acc. aut ἐπὶ c. gen. addi solet ita: ὅσα νενομοθέτηται περὶ παιδείαν, et ὅσα νομοθετοῦσιν ἐπὶ τῶν καθ' ἕκαστα. Sed nostro loco apparet νομοθετεῖν cum accusativo solo strui (ut in Ἠθ. μεγ. 1187a 17 νομοθετεῖν ταῦτα) cuius locum enuntiatio rel. obtinet, nisi accusativum illum ταῦτα, ad quem pronomen rel. pertineat, omissum statuere mavis ita: ταῦτα γὰρ περὶ ὧν βουλεύονται νενομοθετῆσθαι τῶν ἀδυνάτων ἐστίν. Restant nonnulli loci, in quibus quomodo περὶ ὧν sit explicandum, primo obtutu non perspicitur: in primo Μεταφυσ. 996a 18 Πρῶτον μὲν οὖν περὶ ὧν πρῶτον εἴπομεν κ.τ.λ. mihi quidem περὶ ὧν pro attractione habendum esse videtur; nam εἰπεῖν περὶ hoc loco sensui adversatur propterea quod scriptor res tractandas demum enumeravit, nondum de iis disceptavit, quod facturus est. Quare περὶ ad supplendum quoddam verbum veluti σκεπτέον ἐστί referendum certe est ita: π. τούτ. ἃ πρῶτ. εἴπ., σκεπτέον ἐστίν. De loco autem Μεταφυσ. 997b 20 ὁμοίως δὲ καὶ περὶ ὧν ἡ ὀπτικὴ πραγματεύεται καὶ ἡ ἐν τοῖς μαθήμασιν ἁρμονική certi quidquam iudicare non audeo aeque atque de 277b 9 et 1398a 28.

Praepositio ἀντὶ ter invenitur attractionem exercens:

Ἠθ. Νικ. 1167a 14 ὁ . . εὐεργετηθεὶς ἀνθ' ὧν πέπονθεν, ἀπονέμει τὴν εὔνοιαν.

Ῥητ. 1380b 21 ἀνθ' ὧν ἔπαθον.

Ἠθ. μεγ. 1195b 16 ὁ δ' ἀντικαταλλαττόμενός τι ἀνθ'*) οὗ προΐεται, οὐκέτι ἀδικεῖται.

Restant tres aliae praepositiones: Ζῴ. μορ. 682a 32 ἀρκτέον δ' ἀπὸ τῶν νῦν εἰρημένων, ἀλλ' οὐκ ἀφ' ὧν ἀπελίπομεν.

frgm. 253 (204, 7) λύκοι. . . . . . . χειμῶνος ἐμβολὴν μέλλοντος ὅτι πεφρίκασι μαρτυροῦσι δι' ὧν δρῶσι.

frgm. 666 (419, 1) ὑπὲρ τῶν ἐν Δελφοῖς ψηφισθέντων μοι καὶ ὧν ἀφῄρημαι, νῦν οὕτως ἔχω. Noli credere attractionem a priore ad τῶν — ψηφ. spectante ὑπὲρ praepositione effectam esse; nam ante pronomen rel. eandem praepositionem eiectam esse quae attractionem exercuerit, statuendum est, siquidem praepositionem eandem bis vel compluries parvo spatio intermisso positam scriptores vitant, ut supra p. 21 sq. de Ἀναλ. προτ. 44a 3 disputans copiosius exposui. Qui nostro loco attractus est accusativus est accusativus quem vocant rei, qualem cum ἀφαιρεῖσθαι verbo coniungi satis notum est.

β) enuntiatio rel. ad nomen refertur i. e. genus adiectivum:

Π. ἀναπν. 477b 13 περὶ δ' ἧς αἰτίας εἴρηκεν Ἐμπεδοκλῆς, τῇ μὲν ἔχει τὸ ζητούμενον λόγον,

Πολ. 1301a 19 περὶ μὲν οὖν τῶν ἄλλων ὧν προειλόμεθα σχεδὸν εἴρηται περὶ πάντων.

Ῥητ. 1404a 39 περὶ τοιαύτης οἵας λέγομεν.

Μετεωρ. 382b 26 ὑφ' ἧς ἔχει θερμότητος.

Π. μνήμ. κ. ἀναμν. 452a 11 ὥστ' ἐξ αὐτοῦ καὶ ὧν ἔχει κινήσεων κινηθῆναι.

De hoc loco idem quod modo de frgm. 666 (419, 1) docui, dicendum est.

Πολ. τ. Ἀθην. XLIII, 6 quem locum papyrus lacunosum exhibet ita: ἐν ᾗ (i. e. ἐκκλησίᾳ) θεὶς ὁ βουλόμενος ἱκετηρίαν [. . . . . .] ὧν ἂν βούληται καὶ ἰδίων καὶ δημοσίων διαλέξεται πρὸς τὸν δῆμον. Lacunam a me indicatam editores alii περὶ alii ὑπὲρ praepositionem inserentes expleverunt, quale

*) τι ἀνθ'] ταῦθ' Mb.

supplementum et spatio relicto satisfacere Kaibel-Wilam. affirmant, neque, ut patet, a sensu abhorret.

Π. φυτ. 818b 28 περὶ τῶν πραγμάτων ὧν πρότερον ἱστορήσαμεν,

Ῥητ. πρ. Ἀλεξ. 1428a 33 περὶ τοῦ πράγματος οὗ λέγομεν.

Π. θαυμ. ἀκ. 839b 25 ἀπὸ τῶν στλεγγισμάτων ὧν ἐποιοῦντο ἀλειφόμενοι.

Ἠθ. μεγ. 1203a 18 ἐπὶ τῆς θηριότητος ἧς ἐλέγομεν κακίας.

Locus insignis est eo, quod nomen quoddam ad pronominis rel. accusativum praedicative refertur; huiusmodi nomina nisi iustissimae causae valent, nunquam integra remanent pronomine rel. ipso ab attractione correpto.

Π. φυτ. 829a 32 μετὰ τοῦ οὗπερ ἔβαψε*) χρώματος.

Enuntiatio rel. cum angustioris significationis verbo et pronomine rel. composito comprehensa sit, quadam vi ad resistendum exornata est; sed ab altera parte ambitum quam brevissimum habens et quod maximum est notioni reg. proxime collocata fieri non potuit, quin superaretur.

d) enuntiatio rel. non e notione ulla reg. pendet,

sed locum casus alicuius absolute positi obtinet veluti genetivi absoluti, dativi instrum. etc. Ex huiusmodi exemplis unum tantum nunc proferri ordo propositus permittit:

Ῥητορ. 1381a 6 γιγνομένων γὰρ ὧν βούλονται χαίρουσι πάντες. Enuntiatio rel. subiectum genetivi absoluti est.

B) Accusativus induit formam dativi.

a) enuntiatio rel. pendet e nomine:

Ἠθ. Νικομ. 1152a 18/9 ὁ....οὐκ ἐμμενετικὸς οἷς ἂν βουλεύσηται, 1155b 35 πολλοὶ γάρ εἰσιν εὖνοι οἷς οὐχ ἑωράκασιν. Utroque loco enuntiatio rel. per se sola est posita; alterius vero i. e. adiectivi generis exempla plane desunt.

*) ἔβλαψε Na.

b) enuntiatio rel. verbis regitur,

idque pariter atque in locis modo prolatis perpetuo per se sola, ne semel quidem cum nomine ullo coniuncta.

Ἠθ. Νικ. 1146b 30 ἔνιοι γὰρ πιστεύουσιν οὐδὲν ἧττον οἷς δοξάζουσιν ἢ ἕτεροι οἷς ἐπίστανται. 1150b 20 οἱ μὲν.... ἐμμένουσιν οἷς ἐβουλεύσαντο.

Ῥητ. 1377b 8 ὁ μὴ ἐμμένων οἷς ὤμοσεν. 1377b 10 ὑμᾶς μὲν ἀξιοῦμεν ἐμμένειν οἷς ὀμόσαντες δικάζετε.

Pronomen rel. attr. e participio antequam attractionem subiit pendens adhuc non obvium fuit apud Aristotelem nisi ita, ut participium cum verbo finito quod verbum auxiliare erat, unam quasi notionem efficeret. At noster locus unus ex paucis est iis, ubi participium et verbum finitum, quippe quod plenam habeat significationem, per se constant neque ullo modo inter se cohaerent. Mihi autem loci huiusmodi in universum decem sunt noti; quinque congessit Foerster l. l. p. 89; tres, qui in Xenophontis scriptis (Cyrop. II, 4, 16, III, 1, 35, Mem. I, 2, 21) occurrunt, a Graebero l. l. pp. 10, 12, 17 commemorantur; accedit unus locus Thucydideus, de cuius tamen explicatione dubitare licet et dubitatum est, ut Reisertus l. l. p. 64 exposuit. Duos mihi Foerster suppeditavit locos, unum ex Arriani Anab. III, 6, 3: ναῦς πρὸς αἷς ἔχοντα Ἀ. ἔπεμπε, alterum e Libanio t. II, 125, 5, R. ὀφείλειν ᾤου σοι δίκην ὧν ἑτέροις χαριζόμενοι τοῖς σοῖς ἐπεβούλευον. Noster vero locus Aristotelicus etiam maiorem habet vim, si, ut Q Yb Zb codices minoris pretii exhibent, in archetypo ἄν particula et coniunctivus δικάσητε fuerit; a sensu haec scriptura certe non abhorret.

Προβλ. 916b 31 ἔτι οἷς ἂν μαρτυρῶσι πλείους, μᾶλλον πιστεύομεν, τὰ δὲ παραδείγματα καὶ οἱ λόγοι μαρτυρίαις ἐοίκασιν.

Codices nonnulli Ca Xa Ya non οἷς, sed αἷς offerunt, quod auctorem quicunque fuit scripsisse me quidem iudice negandum est. Nam nimis obscura, si pro οἷς substituis αἷς, fit oratio, siquidem μαρτυρίαις nomen, quod cogitatione ad αἷς supplendum est, ab hoc nimis distans extra enuntiati rel. structuram positum est, quam ut legens primo obtutu

5

de hoc nomine supplendo cogites. Quod αἷς dativus ex ἃς accusativo immanente ortus est, hanc ob causam illa lectio non est improbanda; immo etiam in scriptis Aristotelicis loci occurrunt, in quibus attractio obiectum immanens arripuit.

Ῥητορ. πρ. Ἀλ. 1445b 39 ἐὰν οἷς ὁμολογεῖς ἐμμένῃς.

Ingesta est attractio, nescio an recte, a Goettlingio in locum:

Οἰκον. 1346a 30, quem codices Sb Ub exhibent ita: ἔστι γὰρ ὅτε τούτων ἐφαρμόσει τοῖς ἂν αὐτὸς πραγματεύῃ (Sb πραγματεύηται), Ib Ub ita: ἔστι γ. ὅτε τούτων ἐφ. τοῖς οἷα ἂν αὐτὸς πραγματεύῃ.

Per se huic lectioni non magis, quam illi confidendum est. Nam ut οἷα pronomen rel. propter vicinarum litterarum similitudinem a librariis omitti potuit, ita ob eandem causam etiam per dittographiam addi potuit. Accedit quod, etiamsi οἷα lectionem codicum Ib Ub probas, hic locus non sanus est, propterea quod τοῖς vix usquam demonstrativam habet vim. Quare Susemihlius <τινὰ τοιού-> τοις οἷα scribendum proponit. Sed multo lenior et verior, ut Sylburgium τὶς pro τοῖς scribentem praetermittam, ea quam Goettlingius affert medicina mihi videtur, qui τοῖς dissolvit in τι οἷς; qua in lectione οἷς ex ἃ accusativo ortum ἐφαρμόσει verbo casum suum per attractionem debet. Deinde ne subiecto ἐφαρμόσει et πραγματ. verba carerent, illi intransitive accepto pronomen τὶ subiecto dedit, huic secundae personae terminationem ῃ attribuit ab omnibus fere codicibus, qui uno excepto πραγματεύῃ praebent, nihil fere recedens. Totus igitur locus a Goettlingio ita est conformatus: ἔστι γὰρ ὅτε τούτων ἐφαρμόσει τι οἷς ἂν αὐτὸς πραγματεύῃ. Quae in editione operum Aristot. Basileensi tertia legitur coniectura ἔστι γὰρ τούτων ἅ τις, a Bekkero recepta nimis violenta est neque tam ut locum ipsum sanaret, quam ut sensum quendam tolerabilem restitueret prolata videtur esse.

c) enuntiatio rel. attr. pendet e praepositione:

α) per se sola, i. e. gen. subst.:

Μεταφυσ. 1028a 4 φανερὸν δ' ἐν οἷς διωρισάμεθα περὶ τοῦ ποσαχῶς λέγεται ἕκαστον, ὅτι πολλαχῶς λέγεται τὸ ὄν.

Qualis haec est enuntiationes rell., dico quae verbis dicendi, in quibus διορίζειν numerandum est, continentur, quantopere pro una tantum notione habeantur, luculenter comprobatur eo quod ut omnes scriptores ita etiam Aristoteles nisi multis additamentis enuntiatio rel. nimis amplificata est, aut participio pro enuntiatione utitur aut enuntiatione adhibita attractionem nunquam omittit. Omnia vero huc spectantia participia propter permagnum numerum afferri non posse per se patet; tria ad illud docendum sufficient: nostro loco etiam argumento plane similis est hic: Μεταφυσ. 1052a 15 Τὸ ἓν ὅτι μὲν λέγεται πολλαχῶς, ἐν τοῖς περὶ τοῦ ποσαχῶς διῃρημένοις εἴρηται πρότερον. alterum exemplum e Ῥητορ. 1378a 17 est petitum: ἐκ τῶν περὶ τὰς ἀρετὰς διῃρημένων ληπτέον. tertium hoc est: Ζῳ. γεν. 724a 32 ἐν τοῖς νῦν εἰρημένοις. alia reperis in 182b 5, 682a 32, 726a 28, 754a 23, 759b 13/14, 992a 1 etc. In quibus participium in enuntiationem rel. solutum est exempla, si praeter nostrum quaeris, unum Μεταφυσ. 1050b 31 inter nominativi attr. exempla (p. 44) enotandum erat. Aliud quoddam paulo infra occurret; spectat enim in eandem atque noster locus attractionis classem, nisi quod in scripto spurio Ἠθ. μεγ. 1192b 17 invenitur, quam ob causam, ut propositum est, qui restant genuini loci, ante illum proferendi sunt, quales duo in Πολ. τ. Ἀθην. quam cum plurimis viris doctis Aristoteli attribuendam duco extant:

Πολ. τ. Ἀθην. XXXII, 3 κατελύοντο τὸν πόλεμον ἐφ' οἷς ἑκάτεροι τυγχάνουσιν ἔχοντες. XXXIV, 1 ἔπειτα βουλομένων Λακεδαιμονίων ἐκ Δεκελείας ἀπιέναι ἐφ' οἷς ἔχουσιν ἑκάτεροι καὶ εἰρήνην ἄγειν.

Ἠθ. μεγ. 1192b 17 οὐ γάρ ἐστιν ἐν τούτοις μεγαλοπρέπεια, ἀλλ' ἐν οἷς εἰρήκαμεν.

Multo probabilius mihi quidem videtur ἐν οἷς per attractionem explicare, quam ratione contortissima ad hanc structurae explicationem confugere: ἀλλ' ἐν οἷς [μεγαλοπρέπειαν εἶναι] εἰρήκαμεν.

frgm. 559 (344, 10) εἰς ἴσον καταστάντες ἐφ' οἷς ἠβούλοντο πρὸς τοὺς Μιλησίους διελύθησαν.

Priusquam ad sequentem exemplorum classem transeam, restat, ut de loco uno, in quo attractio mendosa librorum scriptura continetur, pauca disseram. Memoria codicum haec est:

῾Ρητ. 1381 a 29 Cod. Ac: εἰσὶ δὲ τοιοῦτοι οἵ τ' ἀγαθοὶ κατ' ἀρετὴν καὶ οἱ εὐδόκιμοι ἢ ἐν ἅπασιν ἢ ἐν τοῖς βελτίστοις ἢ ἐν τοῖς θαυμαζομένοις ὑφ' αὐτῶν ἢ ἐν οἷς θαυμάζουσιν αὐτοί. Codd. Π et Θ (de signis cfr. Roem. praef. p. XVII): .... ἢ ἐν τοῖς θαυμαζομένοις ὑπ' αὐτῶν ἐν οἷς θαυμάζουσιν αὐτούς.

ἐν πᾶσιν, ἐν βελτιστ. ἐν θαυμαζομ. verba sive res sive homines indicare censes, neutri sententiae neutra illarum lectionum satisfacit, immo utraque haud dubie corrupta est, ut primo obtutu apparet. Rectam emendandi viam iam Victorius me quidem iudice ingressus est, qui a Π Θ codicum lectione profectus ἢ particulam, quae ante ἐν οἷς deest, ex Ac recepit et pro οἷς scripsit τοῖς. Qua emendatione sententiam recte esse restitutam loci quidem plane eiusdem sententiae 1379 b 25/6, 1384 a 24, 27, 30, 1384 b 30, 1388 b 20 docent; quamobrem neque Bekker neque Roemer eam in textum recipere dubitaverunt. Neque vero ego mentionem huius loci fecissem, nisi Spengelius in edit. sua dissensisset. Qui vir doctissimus modo utrum res an personae intellegendae sint, dubius, modo, ut mihi videtur, codice Ac nimis fretus, inter rationem duplicem haesitabat. Cui codici plus tribuens, quam ut eius lectionem repudiaret, hanc in textum recepit ita, ut ἢ ἐν τοῖς θαυμαζομένοις ὑφ' αὐτῶν pro paraphrasi habens uncis includeret. Quamquam Spengelius ipse lectioni suae oppositionem aptam, quae in vulgata lectione inest, deesse haud ignorabat, tamen hanc non probavit, quia si ἐν πᾶσιν etc. res, non homines indi-

carent, vulgata ferri non posset. Quare in adnotatione ad hunc locum facta praeter priorem scribendi rationem codicis Ac lectionem paululum mutandam ita ut pro θαυμάζουσι scriberetur θαυμάζονται, proposuit. Sed sive de rebus sive de personis agitur, θαυμάζεσθαι ἐν ab Aristotelis usu dicendi alienum est. Ubi de rebus sermo est, θαυμάζεσθαι περὶ veluti 1381 b 13, quem locum Roemer affert, ubi de personis agitur, θαυμάζεσθαι ὑπὸ usurpatur, ex. gr. 1379 b 25/6, 1384 a 24 sqq., 1384 b 30, 1388 b 20, quos locos equidem congessi.

β) enuntiatio rel. ad nomen refertur.

Πολ. τ. ᾿Αθ. XIX, 3 ἔν τε γὰρ τοῖς ἄλλοις οἷς ἔπραττον, διεσφάλλοντο.

Ζῴ. γεν. 740 b 15 πρὸς γὰρ πολλαῖς ἄλλαις αἷς ὁ λόγος οὗτος ἔχει δυσχερείαις.

Non omnes codices ita praebent; discrepant enim duo: alter, qui est Vaticanus 1339 et apud Bekkerum signum P gerit, exhibet: ἃς ὁ λόγος οὗτος ἔχ. δυσχερείας, alter Laurent. 81, 1 in edit. Bekk. signo S notatus ita: ἃς ὁ λόγ. οὗτ. ἔχ. δυσχερείαις. Quarum lectionum neutram esse veram quid longa disputatione opus est? Utramque lectionis sincerae mutatione ortam esse inde elucet quod uterque librarius, vel quisquis fuit, diverso modo mutavit. Deinde Aristotelem nostri loci enuntiatum rel. attraxisse ex huius attributiva collocatione concludi potest. Ita si enuntiatio rel. posita est, ne a compositis quidem pronominibus rell. attractionem alienam esse Foerster l. l. p. 99 adn. 165 docuit, nedum enuntiatio rel. nostra, qua natura sua debiliorem vix ullam deprehendas, restitura fuerit.

Προβλ. 872 a 31 ἔστι δὲ ἡ μὲν πόρρω ἐπιθυμία σφοδρά, ἡ δὲ κύκλῳ ἐν ᾧ τ' οὔνομα σημαίνει σχήματι,

Noli specie captus attractionem agnoscere in loco

᾿Ηθ. Μεγ. 1196 a 32 ὥστ' ἐν τοῖς τοιούτοις ἀδικήμασιν, ἐν οἷς ἡμεῖς ζητοῦμεν οὐκ ἐνδέχεται αὐτὸν αὑτὸν ἀδικεῖν.

Erunt fortasse, qui ἐν οἷς solvant in ἐν τούτοις ἅ. quasi ἐν τούτοις ἃ vel ἐν οἷς pro ἐν τοιούτοις a scriptore aut τοιού-

τοις se dixisse oblito aut consulto quadam cum gravitate repetitum et substitutum sit. Ita si locus explicatur, enuntiationis rel. sensus non recte se habet, nisi forte ζητεῖν in enuntiationibus rel. aeque atque latinum verbum „quaerere“ usurpari existimas; quod si mecum negas et quod proprie enuntiatio rel.: ἃ (i. e. ἀδικήματα) ζητεῖν significat a sensu totius loci abhorrere concedis, ad enuntiationem rel. supplendi rationem confugiendum erit hanc: ἐν οἷς [πότερον οὐκ ἐνδέχεται αὐτὸν αὑτὸν ἀδικεῖν ἢ οὔ,] ἡμεῖς ζητοῦμεν. quo supplemento ἐν οἷς facilem habet explicationem.

d) enuntiatio rel. casus alicuius absolute positi locum obtinet:

Ζῳ. ἱστ. 622b 4 ἔστι δὲ καὶ ὁ ναυτίλος πολύπους τῇ τε φύσει καὶ οἷς ποιεῖ περιττός. Quem si excipis locum, omnes eiusdem generis enuntiationes rel. ad nomen aliquod referuntur vel adiectivi partibus funguntur.

Ζῳ. ἱστ. 524a 1 τοῖς δ' ὥσπερ πτερυγίοις, οἷς ἔχουσι περὶ τὸ κύτος, νέουσιν.

P D a codices exhibent ἃ non minore cum probabilitate demum ex οἷς mutatum quam in loco illo simillimo quem paulo ante tractavimus. Codicum alter (P) illo quoque loco a reliquis ita discrepabat, ut pronomen rel. non attractum praeberet. Quodsi quaeris, qua re permotus utriusque codicis librarius οἷς mutandum esse iudicaverit, mihi quidem ita videtur: scriba sive attractionis non satis gnarus, sive structuram verborum omnino non respiciens οἷς lectionem mendosam esse censebat mendi originem dittographiae quae vocatur, quoniam οις (αις) syllaba praecedit, fortasse tribuens. Etiamsi haec enuntiatio non attributive collocata est, tamen οἷς lectionem praefero, quippe quae plurimorum et optimorum codicum sit. Inveniuntur sane exempla, ubi enuntiatio rel. ἔχειν verbo finito comprehensa attractionem non experta sit, e quibus una vel plane aeque atque nostra conformata est. Quod exemplum primum proferam, non tamen totum, sed quantum huc spectat; est autem in eodem atque illa scripto

Ζῳ. ἱστ. 620b 20 τῷ τρόπῳ ὃν ἔχει ἐν τῷ στόματι, λαμβάνουσα.

Sequuntur alia:

Φυσ. ἀκρ. 208a 19 ἀλλ' οὐ διὰ τοῦτο ἔξω τοῦ ἄστεός τίς ἐστιν ἢ τοῦ τηλικοῦδε μεγέθους ὃ ἔχομεν, ὅτι νοεῖ τις, ἀλλ' ὅτι ἔστιν.

Π. αἰσθητ. κ. αἰσθησ. 437a 17 περὶ μὲν οὖν τῆς δυνάμεως ἣν ἔχει τῶν αἰσθήσεων ἑκάστη, πρότερον εἴρηται.

Ῥητ. 1395b 3 χαίρουσι γάρ, ἐάν τις καθόλου λέγων ἐπιτύχῃ τῶν δοξῶν, ἃς ἐκεῖνοι κατὰ μέρος ἔχουσιν.

Quarum quattuor enuntiationum rel. si ulla, altera illa ὃ ἔχομεν attrahi debuit, siquidem non solum pronomen rel. generis neutrius est, sed etiam ambitus vix circumcisior cogitari potest. Quamobrem mihi quidem, cur attractio hoc loco omissa sit causa in eo posita videtur esse, quod ἔξω notio regens plura verba regit, quam ut praeter haec etiam enuntiationem rel. quamvis invalidam quidem, sed nimis distantem in potestatem suam redigere potuerit. In ceteris autem tribus locis pronominum rell. genus quod semel masculinum, bis femininum est, attractionem repulisse videtur. Nam masc. aut femin. generis pronomine rel. comprehensa enuntiatio nisi ante nomen ad quod refertur, posita nunquam fere attrahi solet. Attributive collocatam enuntiationem rel. facilius quam praedicative attractioni subici iam Foerster observavit et adnotavit, sed certam quandam causam non addidit vir ille doctissimus, propterea, ut mihi videtur, quod per se satis perspicua sit. Et profecto facillima est intellectu. Notio enim reg. longe saepissime nomini et enuntiationi rel. adiectivi locum tenenti praecedit; excepti ii tantum loci sunt, quos sub littera d congessi, ubi notio reg. deest, et ii, in quibus enuntiatio a verbo aliquo, quod sane quidem nonnumquam sequitur, pendet; sed ne tum quidem apud Aristotelem adhuc ullam adiectivi generis attractionem reperi talem, ut verbum eam efficiens sequatur. Immo perpetuo praecedere videtur, veluti Ῥητ. 1374b 17 καὶ τὸ μνημονεύειν μᾶλλον ὧν ἔπαθεν ἀγαθῶν ἢ κακῶν κ.τ.λ. Cfr. p. 57, ubi alia huiusmodi exempla invenies. Quae cum ita sint, enun-

tiatio rel., quae ante nomen posita est, propior quam postposita notioni reg. est. Quae autem propior est, maiore vi a notione reg. arripitur, quam quae longe abest, vel ut exemplis utar, maiorem vim notio reg. exercet in enuntiationem rel. huius loci: Προβλ. 872a 31 ἐν ᾧ τ'οὔνομα σημαίνει σχήματι quam in hanc: Φυσ. ἀκρ. 208a 19 ἔξω τοῦ ἄστεός τίς ἐστιν ἢ τοῦ τηλικοῦδε μεγέθους ὃ ἔχομεν. Ergo ut, unde profecti sumus, eo revertamur, quattuor illis locis attractio locum non habet duabus de causis satis iustis. Quarum neutra in nostrum locum quadrat; neque alia extat, ad quam omissa attractio revocari possit. Sine iusta autem causa si quisquam, Aristoteles, cuius aetate attractio florebat, ab hac non abstinuit. Itaque persuasum habeo in archetypo οἷς, non ἃ fuisse. Cui loco secundum ordinem propositum proximus extat in

Ζῴ. μορ. 695a 18 ἅμα τοῖς λοιποῖς ἐναντιώμασιν, οἷς ἔχει πρὸς τὸ κ.τ.λ.

Π. σοφ. ἐλ. 178b 8 ἆρ' ᾗ μὴ ἔχει χειρὶ τύπτοι ἄν; ἢ ᾧ μὴ ἔχει ὀφθαλμῷ ἴδοι ἄν;

Ζῴ. ἱστ. 556a 30 τύπτουσι δ'ἐν τοῖς ἀργοῖς τρυπῶντες ᾧ ἔχουσιν ὄπισθεν ὀξεῖ.

Idem codex P, quem iam bis attractionem vidimus tollentem, pro ᾧ substituit ὡς. Quae mutatio quam aperta et infelix sit, facile intellegitur.

Προβλ. 967b 4 τὸ δὲ πῦρ τὸν κέραμον ἀναπιμπλᾷ ᾗ ἀναφέρει ἀσβόλῳ.

Haec hactenus de accusativo obiecti externi attracto. Transeo iam ad

2) Pronominis rel. accusativum, qui vocatur immanens.

Huic classi etiam temporalis accusativi attr. exempla assigno, quippe qui natura sua indoleque accusativo immanenti proxime cognatus vel ad eum, ut grammatici statuunt, revocandus sit.

A. Abit accus. in genetivum:

Spectant huc tria exempla, quorum primo loco positum e nomine, alterum e verbo, tertium e praepositione pendet;

nullum est Aristotelis ipsius; extant enim duo in scriptis spuriis, unum, quod in fragmento est, verba Simplicii commentatoris continet:

frgm. 118 (110, 19) τοῦτο δὲ πολλοστὸν μέν ἐστι μέρος ὧν Ἀριστοτέλης ἐν τῷ λόγῳ τῷ περὶ ἐναντιοτήτων ἠπόρησεν.

Ῥητ. πρ. Ἀλ. 1430b 23 ἐκεῖνοί τε γὰρ ὧν μὲν αὐτοὶ ἀδικοῦσιν, οὐκ ἀξιοῦσι διδόναι δίκας.

Ἠθ. μεγ. 1187b 6 ἔκ τινων ἀρχῶν καὶ τῶν πράξεων ὧν πράττει κ.τ.λ.

B. accusativus induit formam dativi:

Ἠθ. Νικ. 1146a 20 ἐπαινετὸς γὰρ οὐκ ἐμμένων οἷς ἐπείσθη ὑπὸ τοῦ Ὀδυσσέως κ.τ.λ.

Πολ. τ. Ἀθην. XIX, 6 τὰ δὲ σύμπαντα (scil. ἔτη) σὺν οἷς (scil. ἔτεσιν) ὁ πατὴρ ἦρξεν ἑνὸς δεῖν πεντήκοντα.

frgm. 547 (338, 5) ἔνοχοι τοῖς ὅρκοις οἷς ὤμοσαν οἱ Λακεδαιμόνιοι.

frgm. π. ἐρωτήσ. (editum in editione artis rhetor. a Spengelio curata Lips. 1867) p. 149 lin. 8 δεῖ δὲ καὶ τὰς αἰτίας ἐπιφέρειν ταῖς ἐρωτήσεσιν [καὶ ταῖς ἀποκρίσεσιν] αἷς αὐτοὶ μὲν ἐρωτῶμεν.

3. Subiecti accusativus

propriam quam nunc quaerimus attractionem nunquam patitur, nisi praepositionibus ipsis accusativum regentibus non succumbens, quae exempla supra p. 20 sqq. laudavi. Haec fuerunt adhibitae attractionis exempla.

Cap. II.

De attractione omissa.

Iam ut perfecta existat attractionis, qualis apud Aristotelem fuerit, imago, loci inspiciendi erunt non attracti. Qui quidem alicuius mihi videntur momenti esse imprimis ad quaestionem, de qua inter homines doctos magna est dissensio, utrum scriptores ex arbitrio suo attractionem adhibeant aut respuant fines quosdam sive sectantes sive non sectantes, an in enuntiationibus, inter quas attractionis ratio intercedit, causa adhibendae aut omittendae attractionis sit posita. Illud erit statuendum, si enuntiata non attracta nulla re ab iis, quae attracta videmus, differunt, hoc, si differant vel si certae quaedam attractionis omissae causae cognoscantur. Me quidem iudice satis graves differentiae intercedunt inter utriusque generis enuntiata, certe graviores, quam ut adhibita et omissa attractio e nulla alia re nisi e mero scriptorum arbitrio pendeat. Quod demonstrare nunc studebo omissae attractionis exemplis, quibus in percensendis eundem fere atque in alterius generis exemplis ordinem tenebo.

Primo loco supra disputavimus de exemplis iis in quibus attractio incerta est. Nam cum notio reg. non alium casum requireret nisi quem pronomen rel. structura enuntiationis rel. acceperat, casus pronominis rel. non mutatus est, nec erat, cur non mera omissio pronominis demonstr. statueretur. Quibus exemplis illa ipsa subiunximus, quae talem contaminationem vel attractionem, quoniam pronomen demonstr. adest, non exhibent. Itaque nunc incipiendum est a propriam attractionem non exhibentibus iis, quorum enuntiatio rel. verbi praedicativi expers est.

Quae enuntiationes rell. cum omni vi exutae sint, valde mirandum est, quod quamvis paucissimae, tamen nonnullae attractionem fugerunt. Causas de quibus attractio omissa videtur esse, quas singulis locis adscriptis addam, concedo non omnes satis iustas esse. Nam cum enuntiationes eo quo dixi modo mutilatae quasi enuntiationis naturam

omiserint, easdem res quae ab enuntiationibus rel. plenis attractionem prohibent, ad illas quoque tutandas sufficere vix credendum est. Sunt autem in universum quinque loci inter quos unus pseudaristotelicus est.

Κατηγ. 7 b 91 ὡσαύτως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων ὅσα τοιαῦτα. Nisi in eo quod enuntiatio rel. adiectivi generis est, non habeo, cur non saltem pronomen attractione sit occupatum. Neque enim perpetuo pronomine rel. simul cum nomine ad pronomen rel. praedicative relato attractio potitur, ubi de nominativi attractione agitur, nunquam autem si enuntiatio rel. verbo praedicativo utitur.

Π. σοφ. ἐλ. 172 b 1 ὥστε .... καὶ εἶναι τέχνην τινὰ καὶ μὴ τοιαύτην εἶναι οἷαι αἱ δεικνύουσαι. In nonnullis codicibus (A B C) attracta forma οἵαν legitur. Sed deest, si hanc lectionem recipis, numeri congruentia, quae subiecto cum praedicato in huiusmodi enuntiationibus sit necesse est. Quare οἷαι pro sincera habenda est lectione. Causa autem, si omnino ulla est, omissae attractionis in numeri discrepantia, quae inter pronomen rel. et ad quam pertinet vocem τέχνην intercedit, ut mihi videtur, quaerenda est. Sequitur tertius locus:

Φυσ. ἀκρ. 216 a 1 ἐν τῷ τοσούτῳ (χρόνῳ), ὅσον τὸ Η, quem locum si comparaveris cum Φυσ. ἀκρ. 250 b 12 ubi attractio extat, nullam cur omissa sit haec fere attractio: ἐν τῷ ὅσῳ τὸ Η, causam esse tibi concedendum erit.

Πολ. 1380 a 30 μηδ' εἰς τοιούτους, οἷοίπερ αὐτοί, ratio adiectiva et genus masc. pronominis rel. attractioni obstitisse videntur. Restat pseudaristotelicus locus:

Ἠθ. Εὐδ. 1223 a 18 ὅσα δ' ἀκούσια, οὐκ αὐτὸν αἴτιον, enuntiatio rel. notioni reg. quae est αἴτιον, praeposita non facilis erat ad subiciendum.

Iam venio ad enuntiationes rel. quae verbo praedicativo utuntur; primum autem, ut propositum est, disputetur

I. De nominativi omissa attractione.

Nominativus quamquam apud Aristotelem non iam ita, ut apud priores scriptores ab attractione abhorret, tamen

ut eius attractio pariter atque accusativi omnibus fere soluta sit finibus tantum abest, ut ne levissimae quidem naturae quales supra attractas vidimus enuntiationibus rell. attractio constanter potita sit. Nam praemittendae sunt enuntiationes rell. eae, de quarum attractione omnino non cogitare licet sive propter maiorem ambitum, sive quia enuntiationi rel. nimis plenum praedicatum est, sive propter alias res, quas attractioni per se ipsas impedimento esse cognovimus. Speciminis loco duos afferre mihi liceat locos:

'Αναλ. πρ. 65 b 1 ὅταν πρὸς ἀντίφασιν ᾖ τούτου, ὃ ἐδείκνυτο τῇ εἰς τὸ ἀδύνατον.

Τοπ. 162 a 6 ὁ δὲ προσδέηται τοιούτων ἅ ἐστιν ἔνδοξα καὶ ἀληθῆ.

Quid tamen longius morer in enuntiationibus rell., in quibus etiamsi pronomen rel. in accusativo esset positum, alia impedimenta et satis gravia ad attractionem repellendam sufficiant? De iis potius, cur attractio omissa sit, quaerendum est, quae forma externa si nominativum pronominis rel. excipis, notioni reg. non difficiles sunt ad superandum et re vera superatae deprehenduntur, quippe quae satis circumcisae sint et praedicato levissimae significationis verbo, quale verbum auxiliare eique cognata et verba dicendi sunt, utantur. Itaque num aliae res obstiterint, quaerendum erit; sin autem nonnunquam causae omnino desint aut parum graves extent, hac re nominativi attractionem ne Aristotelis quidem aetate satis inveteratam fuisse comprobabitur. Incipio autem, ut aequum est, ab iis enuntiationibus, quae verbo auxiliari comprehenduntur:

Κατ. 4 a 7 οὐδέ γε τῶν ἄλλων οὐδὲν ὅσα ἐστὶν οὐσία. οὐσία cum Waitzio, non οὐσίαι quod in edit. Bekk. est, scribo, nam pluralis οὐσίαι pluralem verbi flagitat, ut sequens locus docet hic: 4 a 17 ὡσαύτως δὲ καὶ ἄλλων, ὅσα μή εἰσιν οὐσίαι. — 7 a 3 καὶ ἄλλων πτερά ἐστιν, ἃ οὐκ εἰσιν ὄρνιθες.

Π. γεν. κ. φθ. 318 b 14 ἄλλον δὲ (τρόπον διοίσει) τῇ ὕλῃ ὁποία τις ἂν ᾖ. — 325 a 2 ἀρχὴν ποιησάμενοι κατὰ φύσιν ἥπερ ἐστίν (ἥπερ spectat ad ἀρχὴν).

Ζῳ. μορ. 641 b 35 καὶ γὰρ ἀφ' οὗ ἀπῆλθε, τούτου σπέρμα οἷον ἵππου, καὶ τούτου ὃ ἔσται ἐξ αὐτοῦ.

Π. θαυμ. ἀκ. 845 a 7 τὸ ὑφιστάμενον ἐπάνω τοῦ αἵματος, ὃ δή ἐστιν ὑδατῶδες, μιγνύουσι. . . . . . .

'Ηθ. μεγ. 1187 a 31 πᾶσα γὰρ φύσις γεννητική ἐστιν οὐσίας τοιαύτης οἷα ἐστίν.

Omnes hae enuntiationes rel. ab iis, quae verbo finito eodem comprehensae attractionem sunt perpessae, ita differunt, ut et attributivi sint generis, et a notione reg. nimis longe distent. Utraque res nominativi attractioni satis multum adversatur. In ultimo loco accedit, quod οἷα ἐστὶν cum gravitate quadam dictum est, quoniam οὐσία gignens opponitur ei quae gignitur vel gignenda est.

Nulla vero omissae attractionis causa conspicua videtur esse in loco

Πολ. τ. 'Αθην. XXIX 5 πλὴν τῶν ἐννέα ἀρχόντων καὶ πρυτάνεων οἳ ὦσιν, siquidem in aliis scriptis haec fere dicendi ratio: πρυτάνεων ὡντινωνοῦν Aristoteli gratissima est. At accurate locum nostrum excutiens ὡντινωνοῦν formam attractam sensui totius loci non satisfacere intelleges; quae nihil aliud nisi „quicunque sunt" significat. Nostro loco cum ὦσιν praegnantem quandam vim habeat, enuntiatio rel. plena remaneret necesse erat. Sensus autem totius enuntiationis rel. hic fere est: „quicumque adsunt i. e. munere suo funguntur" idque eo de quo sermo est tempore. Quodsi verbum finitum necessarium erat, attractio pariter atque in praecedentibus locis existere non potuit, quia notionis reg. vis iam aliis vocibus occupata, ut etiam enuntiationem rel. non invalidam arriperet, non suffecit.

Iam nos vocant enuntiationes rell. ὑπάρχειν verbo, quippe quod verbo auxiliari satis propinquum sit, comprehensae:

'Αναλ. πρ. 81 b 39 ἀρξαμένῳ ἀπὸ τοιούτου ὃ μηδενὶ ὑπάρχει ἑτέρῳ,

Τοπ. 140 a 25 εἴ τινι κέχρηται ὃ πᾶσιν ὑπάρχει,

'Ρητ. πρ. 'Αλ. 1424 b 40 τούτων, ἅπερ ἂν ὑπάρχῃ, ταῦτα συνάγειν.

Quos locos velim conferas cum illo uno huiusmodi, qui attractus est (nisi meram pronominis demonstr. omissionem statuis) καὶ οὕτως ἥξει εἰς ὃ νῦν ὑπάρχει. Quo in loco praeterquam quod ne propriam quidem attractionem exhibet, et notionem reg. validiorem quam in illis et enuntiationem rel. simpliciorem esse apparet.

Inter cetera verborum genera cum verba dicendi minimam resistendi vim enuntiationibus rell. praebeant, omissae causam attractionis quodam cum iure quaerere tibi licet in loco

Μεταφυσ. 1019 b 17 τῆς τοιαύτης ἀρχῆς ἄρσις οἷα εἴρηται.

Inter nostrum non attractum et locos eiusdem generis attractos differentia conspicua est haec, quod his locis enuntiatio rel. attr. locum eiecti demonstrativi tenet, in illo pronomen dem. adest; deinde nostra enuntiatio rel. nomini ad quod refertur, postposita est, in illis nullo vocabulo intermisso anteposita.

Verba agendi per se ipsa enuntiationem rel. ad resistendum satis validam reddunt, ut nominativi attractio ob illam ipsam causam existere non possit; unum enim tantum huiusmodi exemplum attractum extat. Quae cum ita sint, alias causas quaerendi labore supersedere mihi licet. Itaque nunc transeo ad

II. dativum non attractum.

Ut attractum dativum paucis tantum locis deprehendimus, ita nunc, ubi de omissa attractione agitur, tot exempla extant, ut huius rei causa in nulla alia re nisi in natura dativi ab attractione abhorrente quaerenda sit. Verumenimvero singula dativi genera mente breviter perlustrans alia, veluti dativus instrum., loci etc. plane absolute esse posita videbis, alia, ut dativus commodi, incommodi proxime ad absolutam illam rationem accedere, non effectum sed relatum significantia. Quae quodsi originem notioni ulli reg. non debere manifestum est, attractionis vis, quippe quae a notione aliqua reg. exerceatur, nihil contra ea valere potest. Ne exempla tamen desint, nonnulla haec sunt:

᾿Αναλ. πρ. 100 b 6 ἐπεὶ δὲ τῶν περὶ τὴν διάνοιαν ἕξεων, αἷς ἀληθεύομεν, αἱ μὲν ἀεὶ ἀληθεῖς εἰσιν.

Π. ψυχ. 429 a 10 περὶ δὲ τοῦ μορίου τῆς ψυχῆς, ᾧ γινώσκει τε ἡ ψυχὴ καὶ φρονεῖ.

Τοπ. 133 b 17 μετὰ τοῦ ᾧ συμβέβηκεν.

At vero admodum exiguus est numerus dativorum illorum, qui in eundem atque accusativus modum a verbo quodam reguntur; propter id ipsum autem quod, ut ita dicam, regibiles sunt, attractionis quoque vim nonnumquam pertulerunt. Verba quibuscum ratio dativi tam arte cohaeret, si desideras, ex gr. sunt ἀπιστεῖν, βοηθεῖν, ἕπεσθαι, πλησιάζειν, χρῆσθαι. Inter quorum verborum dativos apud Aristotelem ille qui cum χρῆσθαι coniungitur, attractionem perpessus est, et si talem agnoscis attractionem, ut dativus forma externa remanente vim solam mutet, etiam qui ἀπιστεῖν, πλησιάζειν verba sequuntur dativorum attractio extat. Sed de attractione adhibita supra disputavimus, nunc, num omissa sit huiusmodi dativorum attractio, quaerendum est, et quae causae obstiterint. Quae quidem quaestio instituenda est de locis, quales hi:

᾿Αναλ. πρ. 45 a 25 διὰ τῶν ἑπομένων καὶ οἷς ἕπεται ἑκάτερον. οἷς ad διὰ τούτων quod supplendum est, spectat.

Φυσιογν. 806 a 18 οὐδὲν ἐξήλλαξε τῶν σημείων, οἷς χρῆται ὁ φυσιογνώμων.

Π. θαυμ. ἀκ. 837 b 30 φανῆναι (φασὶν) ἐκ τοῦ αὐτοῦ μετάλλου σίδηρον, ᾧ νῦν ἔτι χρῶνται Τυῤῥηνοί.

Non longa disputatione quid attractioni nocuerit eget. Nam cum dativi attractio per se satis sit insolita, levissimum ipsum impedimentum ut notio reg. enuntiationi rel. impar esset, effecit. In primo et altero loco notio reg. quod nomen quoddam subiecit, eo partem virium suarum trivit; in tertio autem mutatio in accusativi formam inaudita esset.

III. De genetivo non attracto.

Cum genetivus in nulla graecae linguae periodo alius casus formam induisse videatur, differentiam ullam inter

attractionem adhibitam et omissam in huius casus attractione statuere non licet. Exempla autem illa, ubi non id factum est, ut pronominis rel. genetivus in illius quo pronomen demonstr. positum est genetivi locum succederet, (quam rem equidem attractioni simillimam puto), locis huiusmodi attractis subiunxi.

IV. Accusativi attractio est omissa.

Accusativus, quippe qui casus obiecti proprius sit, quo pluribus locis attractionem expertus est, eo rarius ei resistit neque aliter nisi gravissimae res ab attractione alienae subveniunt, quales in prooemio collegi et, ut mihi visum est, disposui. Restat, ut quae earum in singulis locis valeat, demonstretur. Imprimis autem attractionem fugiunt enuntiationes rell. eae, quae ad enuntiatum prim. recte intellegendum non necessariae sunt, sed novi aliquid addunt vel narrationem amplificant. Quam rem fusius docebo tribus exemplis, quorum unum e spuriis sumptum est.

Ζῳ. ἱστ. 613b 25 τοῦ δ'ἔαρος ἐκ τῆς ἀγέλης ἐκκρίνονται δι' ᾠδῆς καὶ μάχης κατὰ ζεύγη μετὰ θηλείας ἣν ἂν λάβῃ ἕκαστος.

Num quisquam huius loci enuntiationem rel., si deesset, ut, qualis θήλεια esset intellegenda, sciretur, desideraret? Minime, ut nemo non concedet. Quin etiam ne ad totius quidem enuntiati prim. sententiam recte intellegendam ullius momenti est. Nam additur nota plane per se accipienda haec, ut avis virilis verno tempore femininam sibi eligat.

Ἀναλ. ὕστ. 97b 17 οἷον λέγω, εἴ τί ἐστι μεγαλοψυχία ζητοῖμεν. σκεπτέον ἐπί τινων μεγαλοψύχων, οὓς ἴσμεν, τί ἔχουσιν ἓν πάντες ᾗ τοιοῦτοι.

Res fiet perspicua exemplo opposito Ζῳ. ἱστ. 604a 3 χαλαζᾷ δὲ μόνον τῶν ζῴων ὧν ἴσμεν ὗς. In hoc loco nullo modo omitti potest enuntiatio rel., in illo potest neque ullum detrimentum capiet sententia. Nam si Aristoteles nihil nisi χαλαζᾷ δὲ μόνον τῶν ζῴων ὗς dixisset, verendum erat ne animalia nobis ignota essent, quae eandem atque sus ederent vocem. Contrarie res se habet in loco nostro

non attracto; tantum abest ut enuntiatio rel. praedicamentum quod dicunt essentiale exprimat ut paene superflua sit, siquidem magnanimos qui ignoti sint considerari non posse per se patet. At etiamsi tam praegnantem oppositionem inter notos et ignotos Aristotelem hoc loco statuere voluisse negas enuntiationi rel. tribuens hunc fere sensum: „qui omnibus hominibus satis noti sunt, veluti Alcibiades, Achilles, Aiax etc. quos viros scriptor paulo post ex gr. nominat", facile intellegis enuntiatione rel. ad enuntiatum prim. recte intellegendum non opus esse; nam magnanimos omnibus, qui quod Aristoteles de iis docet, legunt, notos esse utile quidem neque tamen necessarium est. Satis est Aristotelem ipsum illos novisse. Ergo differunt loci supra prolati ita, ut enuntiatio rel. prior nulla cum gravitate, posterior fortissime dicta sit.

Προβλ. 916a 31 τὰ δὲ ἐνθυμήματα ἀπόδειξίς ἐστιν ἐκ τῶν καθόλου, ἃ ἧττον ἴσμεν ἢ τὰ μέρη.

Enuntiatum prim. ut intellectum habeat, certe enuntiatione rel. non eget. Nam qualia sint τὰ καθόλου, nemo nescit. Attractio adhibita plane perversum sensum in locum intulisset, quasi differentia inter τὰ καθόλου talia quae magis et talia, quae minus scirentur, intercederet. Immo totius enuntiati prim. sententiae explicandae et causa quadam fulciendae enuntiatio rel. inservit, quae separatim struenda et enuntiatione demonstrativa addita γὰρ particula circumscribenda est.

Satis quam explicaturus eram res ex his exemplis intellegi mihi videtur.

Eidem generi attribuendae sunt enuntiationes rell. coniunctivo aut optativo comprehensae, deinde quae cuiusdam ambitus sunt, denique quae ad nomen iam uno vel pluribus adiectivis satis definitum pertinent; de qua re quod in prooemio disputavi, velim conferas. Neque vero aliter de enuntiationibus rell. ad nomen proprium relatis iudicandum est. Quibus non determinatio ulla qua homo aliquis ab aliis distinguatur, redditur, siquidem ad hanc rem

nomen proprium ipsum suppetit, sed earum argumentum de quacunque sermo est sententiam explet vel illustrat. Quod facile est intellectu exemplo hoc:

Ῥητορ. 1399a 3 καὶ περὶ Ἀλεξάνδρου, ὃν αἱ θεαὶ προέκριναν.

Sed haec hactenus de primaria omissae attractionis causa, quam quibus agnosco loci iam deinceps afferendi sunt:

Φυσ. ἀκρ. 216a 19 ἣ ῥοπῇ ἣν ἔχει τὸ φερόμενον.

Π. ψυχ. 424b 28 τῇ ἁφῇ αἰσθητά ἐστιν, ἣν τυγχάνομεν ἔχοντες,

Π. αἰσθησ. κ. αἰσθητ. 437a 17 περὶ μὲν οὖν τῆς δυνάμεως ἣν ἔχει τῶν αἰσθήσεων ἑκάστη,

Ζῳ. μορ. 665a 5 ἡ συναγωγὴ τῆς ..... ἐπιγλωττίδος, ἣν ἔχουσι τὰ τριχωτά.

Ex iis quae supra exposui satis intellegitur has verbo ἔχειν comprehensas enuntiationes rell. nihil fere ad enuntiatum prim. recte intellegendum conferre; neque vero nescius sum eiusdem huius generis enuntiationes rell. quamquam non minus enuntiatum prim. iis carere potuit, tamen nomini ad quod pertineant esse assimilatas. Sed harum pronomen rel. neutrius generis est, qua re, id quod in primordio equidem dixi, etiam externas attractionis adhibitae causas extare comprobatur; ne neutrum quidem attractum est in Φυσ. ἀκρ. 208a 19, ubi etiam alias causas obstitisse supra (p. 71) docuimus.

A demonstrativa significatione, ut ad alia progrediar exempla, non fere abest pronomen rel. in loco, in quo enuntiatio rel. enuntiatum prim. minus determinat quam amplificat:

Ζῳ. γεν. 745a 3 ἐκ τῆς ἐπικτήτου τροφῆς καὶ τῆς αὐξητικῆς ἥν τε παρὰ τοῦ θήλεος ἐπικτᾶται καὶ τῆς θύραθεν.

Ἠθ. Νικ. 1113a 8 δῆλον δὲ τοῦτο ἐκ τῶν ἀρχαίων πολιτειῶν, ἃς Ὅμηρος ἐμιμεῖτο.

Enuntiatio rel. adiectivo ἀρχ. explicando magis, quam substantivo πολιτ. definiendo inservit.

Ῥητ. 1392a 28 καὶ ὅσων ἡ ἀρχὴ τῆς γενέσεως ἐν τούτοις ἐστὶν ἃ ἡμεῖς ἀναγκάσαιμεν ἂν ἢ πείσαιμεν.

Πολ. τ. Ἀθην. XXXI 1 ἐκ προκρίτων οὓς ἂν ἕλωνται οἱ φυλέται τῶν ὑπὲρ τριάκοντα ἔτη γεγονότων.

Π. φυτ. 816b 8 ἔχει (τὸ ζῷον) δὲ ὕλην οἰκείαν κινήσεως ἣν ἔχει ἐν ἑαυτῷ.

Π. θαυμ. ἀκ. 834a 24 ἐν τοῖς περὶ Πέργαμον, ἃ δὴ καὶ Κροῖσος εἰργάσατο......

Μηχ. 848b 12 γίνεται διάμετρος αὐτὴ τοῦ σχήματος, ὃ ποιοῦσιν αἱ ἐν τούτῳ τῷ λόγῳ συντεθεῖσαι γραμμαί. 854a 33 Διὰ τί τὰ κάρυα ῥᾳδίως καταγνύουσιν ἄνευ πληγῆς ἐν τοῖς ὀργάνοις, ἃ ποιοῦσι πρὸς τὸ καταγνύναι αὐτά;

Προβλ. 903b 9 ἢ ὅτι ἀποπληξίᾳ ὅμοιόν ἐστι τὸ πάθος μέρους τινὸς τῶν ἐντὸς ὃ ἀδυνατοῦσι κινεῖν. Ut pronomen rel. a participio, ita etiam ab infinitivo pendens minus arte ad sensum enuntiati prim. pertinet, quare contra huiusmodi accusativos attractio nihil valet:

Π. ἀνέμ. 973a 18 πνεῖ δὲ ἀπὸ τῶν Συρίων πυλῶν ἃς διέστηκεν ὅ τε Ταῦρος καὶ Ταυρόσια ὄρη. attractio adhibita omni sensu destituta esset, siquidem quae πυλαί intellegendae sint, adiectivo Συρίων addito satis indicatur.

Quae in frgm. extant huiusmodi exempla satis erit commemorasse: frgm. 597 (365, 2) 616 (388, 5) 619 (389, 18) 640 (397, 18) 640 (398, 6) 640 (399, 7) 673 (421, 16) 680 (425, 19).

Venio ad alias causas exemplis illustrandas. Inveniuntur loci, ubi pronomen rel. quamvis magna necessitudo inter utriusque enuntiati sententiam intercedat, integrum remansit. An enuntiatione rel. opus est, ut sciatur quis πίναξ intellegatur, in loco

Πολ. 1341a 36 δῆλον δὲ ἐκ τοῦ πίνακος, ὃν ἀνέθηκε Θράσιππος Ἐκφαντίδῃ χορηγήσας? Certe vero opus est, quod ne quis neget, plane non vereor. Quid igitur attractionem repulisse ducamus? Videntur huiusmodi exempla sententiae favere illi, e qua arbitrium quoddam in adhibenda et omittenda attractione regnat. Ad hanc tamen sententiam ego quidem non confugio, si causae in attractionis natura vel indole quamquam externa positae excogitari possunt. Extare autem tales causas exempla ipsa et adhibitae et omissae attractionis luculenter

comprobant. Nam quae expertae sunt attractionem enuntiationes rell. longe plurimae per se solae notione quadam reguntur; contra ubi omissa est attractio, simul cum enuntiatione rel. nomina, sive unum sive plura e notione reg. pendent. Deinde in illis pronomen rel. longe frequentissime generis neutrius, in his masculini aut femin. generis est. Quin etiam tam obnoxium est genus neutrum attractioni, ut haec existat, quamquam enuntiatione rel. plane nulla necessaria determinatio continetur, ut p. 82 vidimus. Nunc exemplis contrariis demonstrabitur nihil nisi pronomen masc. et fem. attractionem ab enuntiationibus rell. prohibuisse iis quibus, ut enuntiatio prim. recte intellegatur, prorsus opus est. Cuius generis exempla sunt haec:

Μετεωρ. 341a 13 περὶ δὲ τῆς γιγνομένης θερμότητος ἣν παρέχεται ὁ ἥλιος...... Enuntiatione rel. careri non potest, quia in sequentibus calor lunae opponitur solis calori.

Πολ. 1305a 1 ἐπὶ τῆς δημοκρατίας ἣν κατέλυσε Θρασύμαχος. Si enuntiatio rel. deesset, quae democratia intellegenda esset, nesciretur.

Illae, quarum causae in externis rebus quaerendae sunt, differentiae quomodo ad attractionis naturam essent revocandae, in prooemio fusius exposui. Iam aliae mihi sunt addendae. In loco

Προβλ. 951b 3 τούτων γὰρ ἑκάστου ὄντων, ἃ κατηγορεῖ αὐτῶν, quippe in quo iam genetivus αὐτῶν adsit, scriptor fortasse orationis perspicuitati consuluit, nisi causam quidquam valere concedis hanc, quod enuntiatio rel. genetivi absoluti locum obtinens, quia qua regatur notio deest, attractionem pati nequit. Praeter hanc causam nullam video in

Π. Ξεν. 975a 22 καὶ πρῶτον τεθέντος, ὃ πρῶτον λαμβάνει. Irrepsit quidem semel in talem quoque enuntiationem rel. attractio:

Ῥητ. 1381a 6 γιγνομένων γὰρ ὧν βούλονται χαίρουσι πάντες, sed ad tam brevem atque concisam enuntiationem rel. subiciendam nulla fere vi opus fuisse facile intellegitur.

Vel validissimae vero notiones reg. nihil plerumque proficiunt contra enuntiationes rel. praecedentes et

sequentes eas inter quas et notionem reg. maius intermissum est spatium, quam quo potestas notionum reg. pertineat. Enuntiatio rel. graviter praeposita notionis reg. dominationi non obnoxia est in locis his:

Ποιητ. 1458a 32 ὅτι ἃ οὐδεὶς ἂν εἴποι ἐν τῇ διαλέκτῳ, τούτοις χρῶνται.

Προβλ. 917a 6 Διὰ τί ἅπερ ἂν τίνες προέλωνται, ἐνδιατρίβουσι τούτοις ἐνίοτε φαύλοις οὖσι μᾶλλον ἢ κ.τ.λ. 917a 13 ὃ δὲ αἱρεῖται, καὶ ἐπὶ τοῦτ' ἐπείξεται.

Notionis reg. ab enuntiatione rel. subsequente nimis distantis exempla sunt haec:

Φυσ. ἀκρ. 208a 9 quem locum in p. 71 exscriptum invenis. 215a 17 ἢ διὰ τὸ ὠθεῖν τὸν ὠσθέντα ἀέρα θάττω κίνησιν τῆς τοῦ ὠσθέντος φορᾶς ἣν φέρεται εἰς τὸν οἰκεῖον τόπον. Similis locus est 312b 10.

Ἠθ. Νικομ. 1175a 30 φανείη δ' ἂν τοῦτο ἐκ τοῦ συνῳκειῶσθαι τῶν ἡδονῶν ἑκάστην τῇ ἐνεργείᾳ ἣν τελειοῖ.

Πολιτ. 1272a 18 ἐκ τῶν δημοσίων καὶ φόρων οὓς φέρουσιν οἱ περίοικοι.

Ῥητ. 1395b 32 ἀλλ' ἐκ τῶν ὡρισμένων λεκτέον, οἷον ἢ τοῖς κρίνουσιν ἢ οὓς ἀποδέχονται.

Μηχ. 849a 4 εἰ μὲν οὖν ἐν τῷ λόγῳ ἐφέρετο ὃν ἔχει ἡ ΒΔ πρὸς τὴν ΔΓ.

Quibus in locis attractio omissa non in una illa quam supra commemoravimus re, sed etiam in aliis causam suam habet. Quod etiamsi genus pronominum et attributivam enuntiationum rell. rationem non respicis, satis multae quae attractioni impedimento fuerunt res reliquae sunt. Atque primum quidem in nonnullis exemplis praeter nomen, ad quod enuntiatio rel. pertinet, unum vel duo alia e notione reg. pendent; ut autem haec duo vel tria nomina atque enuntiationem rel. sibi subiciat, tantam vim nulla notio reg. praestare potest; huc faciunt 208a 19, 1272a 18, 1395b 32 aliaque. Deinde accusativum immanentis quod vocatur obiecti et illum, qui subiecti partes habet, facile attractioni resistere iam supra collegimus inde quod hi accusativi

raro attracti deprehenduntur. Prioris autem generis accusativum habes in 215a 17, 312b 10, 1272a 18, praeterea in

Π. οὐρ. 272a 10/11 ὥστε καὶ τοῦ μεγέθους (ἀρχὴν εἶναι), ὃ βεβάδικεν.

Π. θαυμ. ἀκ. 838a 32 ἐν ταῖς ὁδοῖς ἃς ἐκεῖνος ἐπορεύθη,

Ζῳ. κινησ. 699b 3 οὐδὲν μᾶλλον ἀντερείδειν δεῖ τῆς μονῆς ἣν ἡ γῆ τυγχάνει μένουσα, quo in loco cum pronomen e participio pendeat, attractio eo minus locum habet.

In accusativo figurae etymolog. qualis noster ἣν est, attrahendo Aristoteles eandem fere atque ceteri scriptores legem observavit hanc, ut pluralem attraheret, singularem non item. Duobus tantum locis pluralis quoque restitit:

Πολ. 1272a 18 cfr. p. 85. 1336b 7 τῶν μαθήσεων ἃς δεήσει μανθάνειν αὐτούς.

Φυσ. ἀκρ. 260b 28 τούτων δὲ οὐδεμίαν (i. e. κίνησιν) ἐνδέχεται τῆς συνεχοῦς μὴ οὔσης, ἣν κινεῖ τὸ πρῶτον κινοῦν.

Ζῳ. γεν. 786b 14 ἐπὶ τῆς μεταβολῆς ἣν μεταβάλλει νέα ὄντα καὶ πρεσβύτερα.

Πολ. τ. Ἀθην. XXXI, 1 καὶ περὶ τοῦ ὅρκου ὅντινα χρὴ ὀμόσαι.

frgm. 409 (274, 14) τῆς ἐν Πύλῳ στρατηγίας ἣν κακῶς ἐστρατήγησεν.

Accusativus temporis attractionem effugit in:

frgm. 433 (284, 12 et 22) ἔστι δὲ ἀριθμὸς ἡμερῶν ἡ πρυτανεία ἤτοι λϛ̄ ἢ λε̄ ἃς ἑκάστη φυλὴ πρυτανεύει.

Subiecti accusativus in Aristotelis scriptis nisi a praepositionibus accusativum regentibus non subicitur; itaque restitit in:

Ἀν. ὕστ. 85a 3 ὃ δεῖ ὑπάρχειν, οὐδὲν τούτου ἔξω πίπτει.

Πολ. 1298b 17 τάττουσι γὰρ ζημίαν τούτοις οὓς βούλονται δικάζειν.

Ἠθ. Εὐδ. 1241a 29 ἂν γὰρ τοιούτου ὀρέγωνται, ὃ μὴ ἐνδέχεται (adde ὑπάρχειν e praecedentibus) ἀμφοῖν, μαχοῦνται.

Denique multum ad enuntiationem rel. ab attractione defendendam verbum finitum valet; ut enuntiationes rel. eius

expertes nunquam fere resistunt, ita praeditae eo maiorem resistendi vim habent, quo plenioris significationis verbum finitum est. Unde apparet, cur enuntiationes rell. attrr. levioris vel generalis significationis qualis dicendi, sentiendi, habendi, dandi significatio est, verbis finitis utantur. Quare tantum abest ut cum Cleefio talem potestatem a verbis finitis abiudicante (l. l. p. 16) faciam, ut eam agnoscam attractioni obstantem in

Ἠθ. Νικ. 1175a 30, quem locum supra (p. 85) exscripsimus, deinde in

Π. ὕπν. κ. ἐγρ. 457b 18 ἔτι δὲ πολλῆς ἐμπιπτούσης τροφῆς ἣν ἀνάγει τὸ θερμόν.

Π. κόσμ. (πρ. Ἀλ.) 401a 13 κατονομαζόμενος τοῖς πάθεσι πᾶσιν ἅπερ αὐτοῖς νεοχμοῖ.

Μηχ. 851b 10 ἢ διότι ἀντισπᾶν τὸ πηδάλιον πολλῷ μὲν ὄντι τῷ πνεύματι οὐ δύναται, ὀλίγῳ δέ, ὃ ὑποστέλλονται.

Nam, si ulla, haec (τελειοῦν, νεοχμεῖν, ὑποστέλλεσθαι) verba definitioris angustiorisque significationis sunt.

Hae sunt praecipuae propter quas omissa est attractio causae ex ipsis exemplis derivatae.

Satis vero comprobasse mihi videor Aristotelis aetate attractionem ita iam fuisse usitatam, ut nisi de causis iustissimis neque nisi compluribus attractionis obstaculis consociatis scriptor eam non omiserit.

Veniam autem peto, si unum alterumve exemplum praetermisi. Consulto excludere visum est locos eos, ubi enuntiationis rel. ambitus omnem modum excessit, quales hi sunt:

Τοπ. 100a 28 ἢ ἐκ τοιούτων ἃ διά τινων πρώτων καὶ ἀληθῶν τῆς περὶ αὐτὰ γνώσεως τὴν ἀρχὴν εἴληφεν.

Ἠθ. Εὐδ. 1215b 32 ἀφαιρεθεισῶν τῶν ἄλλων ἡδονῶν, ἃς τὸ γινώσκειν ἢ βλέπειν ἢ τῶν ἄλλων τις αἰσθήσεων πορίζει τοῖς ἀνθρώποις.

De huiusmodi enuntiationum attractione non vereor ne quis cogitet.

Cap. III.

Conclusio.

Quoniam igitur admissae et omissae attractionis exempla singillatim percensuimus, nunc continuam magis attractionis, qualis in Aristotelicis scriptis fuerit, imaginem describere mihi videtur singulas quibus priores scriptores se adstrinxerunt leges perlustrando et quatenus Aristoteles eas servaverit aut non servaverit quaerendo. Lex illa primaria, e qua attractio enuntiationibus rell. potissimum iis potitur, quae ne sententia prim. sensu careat, ab hac dirimi nequeunt, ab Aristotele nisi externae res neque nimis multae neque graves obstant, non laesa est. Duplicis autem sunt generis externae illae res, siquidem aut ad enuntiationem prim. i. e. quae attrahit, aut ad enuntiationem rel. quae attrahitur pertinent. Per se sola nulla attractionem repellere potuit. Nam, ut a priore genere incipiam, quamvis longe notio reg. ab enuntiatione rel. afuerit, nisi aliae res auxilium ferebant, attractio extitit; vel sex vocabulis intermissis notio reg. enuntiationem rel. subiecit. Deinde enuntiatio rel. aut per se sola aut una cum nomine ad quod refertur, uno vel pluribus e notione reg. pendet. Unum autem adversarium faciliorem esse ad vincendum, quam duos vel plures, non opus est dicere. Quare etiam apud Aristotelem omnes fere non attractae enuntiationes rell. ad nomen quoddam referuntur, neque tamen in ullo huiusmodi loco hanc rem solam fuisse causam vidimus. Denique quod de diversa attrahendi vi singularum notionum reg. contendi, id minus ex accusativi, quam e dativi et nominativi attractione sive adhibita sive omissa elucet, quippe qui ad attractionem minus idonei saepius praepositionibus et quibus partitivus sensus est notionibus, quam ceteris succumbant; neque tamen ex accusativi attracti exemplis idem non conspicuum est, siquidem quotiens enuntiatio rel. ob alias res ab attractione aliena est, praepositio et notiones partitivi

sensus eam in potestatem suam redigunt, ceterae notiones reg. aut omnino non aut rarius.

Enuntiationes rell. autem, qualis naturae atque indolis esse soleant, nunc videamus. Quo in genere quibus apud priores scriptores plus vel minus attractio coartata fuit fines sub aetatem qua Aristoteles florebat, dilatati sunt.

Iam ut singulas enuntiationum rell. partes persequar, a pronomine rel. exordiendum esse mihi videtur.

Inter pronomina, quae composita sunt, omnium quidem, sed praecipue οἷος pronominis attractio omnibus fere finibus tam libera est, ut non solum nominativus, verum etiam, id quod adhuc inauditum fuit, nominativi genus masc. et fem. attractione occupata sint.

Iam si genus pronominum rell. spectamus, sane quidem longe plurima enuntiationum rell. non attractarum pars pronominibus generis masc. et fem. comprehensa est neque tamen haec res nisi cum aliis obstaculis consociata attractionem repulit. Quorum generum vis in eo quoque ut apud omnes scriptores, ita etiam apud Aristotelem cernitur, quod nisi praeposita ad quod refertur nomini (unde fit, ut notioni reg. propior sit) enuntiatio reg. attractionem non experitur; cui usui duo tantum vel tres loci obluctantur.

Proximum est, ut de casu pronominis rel. verba faciam. Quae disputatio bipartita erit, siquidem casus attrahendus discernatur necesse est ab attracto vel in quem ille abit. Inter casus attrahendos accusativus, ut natura et huius casus et attractionis fert, huic longe accommodatissimus ab Aristotele paene saepius quam ab aliis attractus est; nam vix quarta pars omnium, quae accusativo comprehensa sunt pronominum attractionem effugit. Quin etiam accusativus immanentis obiecti, quamquam una cum aliis rebus attractioni noxiis facile impedimento fuit, tamen per se solus satis saepe notioni reg. se dedit. Denique accusativus qui vocatur anticipatus, quem Schulzius l. l. p. 12 apud oratores rec. ab attractione alienum fuisse docuit, apud posteriores scriptores huius potestatis minus particeps fuisse videtur, quoniam in uno loco attractionem repulit, contra in duobus

se ipse tutari non potuit, praesertim quem multae et graves res in alterutro loco adiuverint; qui locus in 'Αν. ὕστ. 71b 2 extat et p. 53 prolatus est. Modo coniunctivo et enuntiationis rel. amplitudine adiuvantibus accusativus anticipatus, si in ullo, hoc loco vim notionis reg., quippe quae nomen sit et praeter enuntiationem rel. etiam παντὸς genetivum regat, repellere potuit.

Ergo ut iam de accusativo disserere desinam, nonne huius casus attractio sub Aristotelis aetatem liberrima atque solutissima est? At erraret, qui per Aristotelem demum accusativi attractionem in latissimum illum usum venisse duceret; in universum enim iam Xenophon et Plato huius attractionis fines quantum fieri potuit dilataverunt, ut e quaestionibus a Graebero et van Cleefio institutis intellegitur.

Neque tamen in Aristotelicis scriptis progressus quidam deest, qualem inde ab Aeschylo per omnes scriptores qui sequebantur, persequi licet; immo satis gravis est. Qui in eo cernitur, quod nominativi attracti exempla non solum frequentiora, sed etiam quibus ante Aristotelis aetatem illam attractionem contineri videmus, fines egressa sunt. Numerus autem exemplorum quae in scriptis Aristotelicis solis extant, nisi maior, certe non minor est quam omnium in operibus scriptorum adhuc perlustratis; nam ut inter enuntiationes propriam attractionem exhibentes de iis, quae verbo praedicativo carent, taceam, quippe quae fere innumerabiles sint, si earum quae verbo illo utuntur numerum quaeris, apud Aristotelem solum viginti duae, apud omnes quorum opera disquisita sunt scriptores, vix quindecim attractionem expertae sunt. Huc spectant unus locus Herodoteus 1, 78, unus Thucyd. 7, 63, 3, quos Reisertus l. l. pp. 38 et 71 commemorat, tum unus Ps. Hippocr. π. γυν. I. c. 30, quem apud Foersterum l. l. p. 9 invenis, deinde duo Demosth. 21, 151 et 57, 46, duo Isocrat. cp. 4, 7, et 2, 25, unus Antiph. 6, 4, unus Aeschin. 1, 90, quos Schulzius l. l. p. 6, sq. collegit, denique tres Platon. Pol. V, 465 D, Theaet. 158 A, Phaedo 69 A a Cleefio l. l. p. 42

enotati. Quibus locis accedit unus alterve a codicum memoria aut ab explicatione incertus. Nominativus autem generis neutrius praepositionibus accusativum eiusdem generis regentibus obnoxius ubi pronominis rel. forma non mutatur, in Aristotelis et eorum, quae sub eius nomine feruntur scriptis septies deprehenditur, apud ceteros omnes scriptores paululo tantum saepius; singuli loci sunt: Demosth. 19, 184 (cfr. Schulzium l. l. p. 6), Xenoph. Memor. III, 8, 5, III, 8, 7, Oecon. 3, 5 (cfr. Graeberum l. l. p. 19 et 21), Herod. 5, 92, 4; 2, 8; 1, 92; 2, 22 (cfr. Reisertum l. l. p. 38), Plato Polit. 297 B, (cfr. Cleefium p. 45 extr.)

De numero hactenus. Iam de exemplorum natura a priorum scriptorum diversa disserendum est. Verumenimvero quae magna inter enuntiationes rell. accusativum attractum exhibentes et eas in quibus nominativus attractus est differentia in illorum scriptorum locis animadvertitur, a nostro paene sublata est. Nam primum quidem omnia notionum reg. genera inveniuntur; deinde verbum finitum non solum intransitivam et passivam, sed etiam activam vim habet. Quod ut uno tantum loco factum est, ita magis idque ab eodem Aristotele primo tentante in usum venit hoc ut generis masc. et fem. et numeri sing. et pluralis nominativus attractionem subiret.

Et cetera quoque, quae quominus attractio in nominativum irreperet obstiterunt, qualia sunt modus coniunctivus, enuntiatio notioni reg. praecedens aliaque, nonnumquam iam non impedimento sunt. Attamen quibusdam finibus apud Aristotelem quoque attractio nominativi coartata remanet, veluti hoc, quod nomini praedicative ad pronomen rel. relato a notione reg. parcitur, si missos facimus locos, in quibus enuntiatio rel. nullo verbo fin. utitur.

Haec satis sunto de pronominis casu, qui attrahitur. Nam de dativo et genetivo nihil dignum memoratu est nisi quod dativi in genetivum abeuntis exempla paucissima uno Aristotelico augentur, et genetivus pronominis rel. in demonstrativi genetivi eiecti locum succedens nostro gratissimus est.

Restant pauca, quae ad casum, cuius formam attrahendus casus accipit, pertinent. Accusativus pronominis rel. genetivi formam saepius quam dativi non solum pro numero exemplorum sed etiam pro rata parte induit; ita Cleefius in scriptis Platonicis se observasse affirmat (l. l. p. 39). Aristotelica exempla ut discrepent, tantum abest, ut nisi generis substantivi enuntiationes rell. paene nullas illam attractionem pati comprobent. Quam rem Cleefius observavit, vellem eam etiam explicare conatus esset. Mihi vero ita videtur: quia plures cum genetivo, quam cum dativo struendi rationes extant, cur numerus alterius generis exemplorum minor quam alterius sit, facile intellegitur. Quod si perpendis, non esse mihi videtur, cur cum Cleefio rem nimis urgeas hanc, quod inter Aeschylea accusativi attr. exempla ne semel quidem dativi forma apparet. Nam quo magis exiguus omnium exemplorum numerus est, eo pauciores de qua agitur attractionis loci exspectandi sunt. Nonne igitur fortuito ob illam rem solam factum esse potest, ut inter non plura novem Aeschylea exempla nullum ubi enuntiatio rel. dativi alicuius locum teneret exstet. Neque tamen dativi naturam ipsam ab attractione abhorrere non concedo, quippe quod cuilibet concedendum sit, siquidem explicanda restat haec res, cur apud Platonem et Aristotelem etiam pro rata parte saepius genetivo, quam dativo accusativus appareat absorptus. Causa autem illa ad naturam dativi revocanda satis perspicua est. Quae enim extant genera dativi, longe pleraque absolute posita sunt, non subiecta notioni reg. ulli; nonnulla tam fluctuantis naturae sunt, ut veluti dativus commodi, possessivus, cuilibet notioni obnoxia fiant; perpaucae vero tantum notiones sunt, quibuscum ratio dativi tam arte cohaereat, ut etiam pronomen rel. enuntiationis sequentis asciscant. Cuius potestatis apud Aristotelem duo tantum sunt: inter nomina εὔνους adiectivum, inter verba πιστεύειν. Nam quam ἐμμενετικὸς et ἔνοχος adiectiva, deinde ἐμμένειν verbum effecerunt attractio magis praepositioni, quacum composita sunt, debetur. Quae cum ita sint, nisi per praepositio-

nes, non fere quam quaerimus attractio existit. Cum ne illae quidem multae sint, quam explicandam supra proposuimus res satis intellegitur. Ut autem accusativus, ita etiam dativus et nominativus longe frequentissime in genetivum abeunt. Iam, priusquam de pronomine rel. disputandi finem faciam, illud gravius mihi videtur, quam ut praeterire liceat, quod accusativus pro nominativo nonnumquam per attractionem ponitur, quippe quae res una ex iis sit, in quibus nominativi attractionis progressus aliquis cernitur.

Iam ut verbum quo enuntiatio rel. continetur, respiciamus, in hoc quoque genere accusativi attractionem omnibus finibus liberam videmus. Accusativus enim attr. non solum e verbi finiti forma, sed etiam e participio et infinitivo sive positis sive supplendis pendet. Modus est indicativus aut coniunctivus quocunque casu attracto; quod optativus in nullo attractionem exhibente loco, contra in uno eam respuente deprehenditur, huic rei nihil tribuo. Futuro tempore neque ulla attracta enuntiatio neque non attracta utitur. Utrumque quod reliquum est, temporum genus pariter in his atque in illis obvium est.

Quod ad significationem verbi attinet, Aristotelis exempla Foersteri sententiam comprobant, refutant autem id quod Reisertus (p. 30) et Cleefius (pp. 16 et 26) huic adversati sentiunt, nihil ad attractionem verbi significationem facere; et accusativi attractio et nominativi Foersteri sententiae favent; illa propterea quod enuntiationes rell. attrr. saepius verbis habendi, sciendi, cupiendi, dicendi, sentiendi, quam agendi continentur, contra omissa attractione res contrarie se habet. Nominativi autem attractio, quippe quae magis adolescat, quam vigeat, una tantum quae verbo agendi continetur enuntiatione rel. potita est.

Atque de singulis enuntiationis rel. partibus hactenus.

Postremum est, ut nonnulla, quae ad totius enuntiationis rel. formam spectant, exponam.

Nomen aliquod ad pronomen rel. relatum simul cum hoc ab attractione corripitur, si pronomen attrahendum in

accusativo positum est, integrum remanet, ubi de nominativi attractione agitur. Deinde in priore attractionis genere quae summae longitudinis sunt enuntiationes rell. attrr. ex undecim vocabulis constant, in altero ex quinque. Denique inter exempla et accusativi attr. et nominativi non solum enuntiationes rell. notioni reg. succedentes, verum etiam praecedentes attractionem perpessae sunt, quamquam illae saepius quam hae.

Nunc quoniam attractionis statum, qualis omnibus quae sub Aristotelis nomine feruntur scriptis in universum repraesentetur descripsimus, superest, ut quomodo singula scripta in attractione exhibenda inter se differant, enucleemus. Atque primum quidem ratio est habenda huius rei, utrum attractio in omni dictione locum habeat, an differentia quaedam cognoscatur et qualis sit haec differentia. Nam dissentiunt viri docti ita, ut alii attractionem quasi pro ornamento perpolitae orationis habeant, alii originem eius et propriam sedem in dicendi genere tenui et volgari esse ducant. Aristotelicis vero exemplis multo magis horum quam illorum fulcitur sententia. Quod ut intellegatur, singula scripta ante oculos liceat ponere ita digesta, ut pro rata parte in quibus attractio adhibita est exemplorum se excipiunt. Qui ordo a scriptis attractione paene vacuis, ad ea, quae scatent, progrediatur:

Μετεωρ., κατηγ., ἀναλυτ. πρ. κ. ὕστ., π. ἑρμ., ζῴ. μορ., μηχ., ζῴ. πορ., πολιτ., φυσ. ἀκρ., τοπ., προβλ., π. ψυχ., φυσιογν., π. οὐρ., ζῴ. γεν., ζῴ. κινήσ., π. χρωμ., ζῴ. ἱστορ., π. θαυμ. ἀκ., π. Ξενοφ., π. γεν. κ. φθ., μεταφυσ., π. φυτ., ἠθ. Νικ., ἠθ. Εὐδ., ποιητ., ῥητορ. πρ. Ἀλ., οἰκον., π. αἰσθήσ. κ. αἰσθητ., πολ. τ. Ἀθην., ῥητορ., π. ἀτ. γραμμ., ἠθ. μεγ.

Vides attractionis usum in universum in scriptis paucorum studio destinatis rarum esse; ut in his scriptor eruditas res tractabat, ita etiam erudita lingua utebatur. Florebat autem atque vigebat attractio, ubi tenuiore vel simpliciore stilo opus erat, quia res multis utiles et legendas docebat. Qualia scripta imprimis sunt Ethica, deinde genus eorum, quae vocant exoteria, e quibus est nuper inventa Πολ. τ. Ἀθην.

Quod in nonnullis scriptis quae propter alias ipsas causas et satis graves ab Aristotele abiudicantur, attractio partim saepius usurpatur, partim solutior fit, sententiam illam confirmare videtur. Nam si quomodo attractionis usus pedetentim longius progrediatur, tecum reputaveris, scripta ea, quae attractionem exhibent solutiorem, posterioribus temporibus quam cetera tribuenda esse concedes. Cui rei egregie convenit, quod longe pleraque pseudaristotelica discipulis aut Aristotelis ipsius aut posterioribus peripateticis assignantur, quare post tempus, quo Aristoteles ipse scripsit, orta sunt. Ita autem quantum ex attrahendi ratione elicere licet, imprimis de Magnis Moralibus, de lin. insec., probl. iudicandum est, quippe in quibus attractionis regnum non solum amplissimum sit, sed quod maximum est, nominativi attractio ita praevaleat, ut etiam generis masc. nominativus attrahatur.

Sed attractionem solam, ut scripta Aristoteli supposita cognoscantur, certam fidamque ducem esse exemplis omnibus perlustratis nego; plus ut una cum nostra e nominis, quam inversam vulgo dicunt attractione eliciatur, futurum esse spero; hoc tamen munere iucundo quidem, sed nimis amplo temporis angustiis impeditus perfungi iam non possum neque tempus praesens satis aptum videtur esse; nam res melius certe procedet, quando etiam de scriptoribus aetate Aristotele inferioribus iisque prosaicis qualem exhibeant attractionem quaeri coeptum erit, siquidem iis inter pseudaristotelica exemplis, quae ab Aristotelis ipsius ratione attrahendi aliena videntur esse collatis cum attractionis quae apud illos inveniuntur generibus de librorum pseudaristoteleorum aetate, fortasse etiam de auctore suspicari licebit. Itaque de hoc munere alias.

Vita.

Henricus Schindler natus sum Reichensteinii pridie Nonas Decembres MDCCCLXIII patre Henrico, matre Anna e gente Fischeriana. Pater optimus acerbissimo fato ante hos octo annos mihi ereptus est. Fidei addictus sum catholicae. Litterarum primordiis in urbe patria usque ad annum h. s. LXXVI imbutus sum, quo pater sede mutata gymnasio Gliwitiensi Carolo Nieberding rectore tum florenti me tradidit. Autumno anni LXXXVI Henrico Reimanno rectore maturitatis testimonium sum adeptus. Quominus statim in universitatem me conferrem impeditus demum inde a vere anni qui secutus est studiis philologicis me dedi. Petivi autem universitatem Vratislaviensem et scholas audivi, quas habuerunt viri doctissimi: B. Erdmann, Foerster, Freudenthal, Hertz, Rossbach, Studemund, Vogt, Weinhold, Zacher. Sodalis fui proseminarii philologici per bis sex menses, seminarii philologici per quinque semestria. Praeterea interfui exercitationibus, quas instituerunt archaeologicas Rossbach, Foerster; philologicas Zacher; epigraphicas Cohn; theodiscas Vogt, O. Erdmann; de philosophia Baeumker, Freudenthal, Lipps; musicas Bohn. Omnibus meis praeceptoribus meritas gratias ago semperque habebo, imprimis philologis Rossbachio, Foerstero, Zachero, qui egregia erga me fuerunt benevolentia. Foersteri vero singularem benevolentiam, quae in hoc opusculo conficiendo nunquam mihi defuit, quamvis de multis rebus, quae haec studia respiciunt, aliter sentiret, sempiterna memoria retinebo.

Sententiae controversae.

I.

Viros doctos apud tragicos poetas nonnunquam sine iusta causa in pleonasmo offendisse censeo; nam aut verus pleonasmus omnino non extat aut agnoscendus quidem est neque tamen a poetica dictione abhorret; illius generis exempla me quidem iudice praebet altera syzygia alterius stasimi Soph. Oed. Tyr. vv. 883—910, quae pleonasticis elocutionibus laborare nonnullis viris doctis iniuria visa est; in altero genere habeo primum locos, ubi gravitas sensus uberiorem dictionem efflagitavit, veluti Soph. Antig. v. 764, Oed. Tyr. v. 181, deinde locos, qui cumulationem quandam praepositionum idem fere significantium exhibent, ut Soph. Oed. Tyr. v. 181, Phil. v. 554, Trach. v. 1160 aliosque.

II.

Romanam „saturam", si originem respicimus, non diversam fuisse a graecis „σατύροις" puto.

III.

In imagine vasculi Apulici collectionis Iattae sub nomine „Thamyris et Sappho" satis nota Sapphonem non cum Musis, sed cum puellis amicis, fortasse aeque atque Sappho poesin exercentibus repraesentatam esse dico.

IV.

Displicet Klaedenii, Baieri, Boetticheri sententia, e qua Wolframius de Eschenbach prooemium poematis, quod „Parcival" inscribitur, demum post poema ipsum composuisse existimatur, nihil nisi id agens, ut iis, qui carminis dictionem obscuram et stilum vituperaverant, responderet.